CORVINUS (Elias) POEMATA (6390 vers)

Le texte proposé ici a pour base celui de l'édition publiée en 1565 chez Johannes Rhamba, à Leipzig.
Nous avons, pour des raisons techniques, mais aussi, afin de rendre le texte plus lisible pour le latiniste d'aujourd'hui, 'modernisé' les graphies.

# LIBER PRIMUS (HEROICA).

## ELIAE CORVINI JOACHIMICI JOSEPHIADOS. LIBER I.

P1_01 v.1 Qui tenui longum condebam carmine tempus,
2 majus opus moveo, major dum nascitur aetas.
3 Nunc libuit segni paulatim plebe relicta,
4 ardua Pierii tentare cacumina montis :
5 praemia Castalidum libuit sperare sororum,
6 fructum aliquem dulcis famae, expertisque sepulchri.
7 Si tamen, o vates, tantum mea carmina possunt,
8 impune ut vestros detur contingere vultus,
9 atque aliquos usus coepti sperare laboris.
10 Te cano, qui tenerae vernans in flore juventae,
11 praedulces patriae fines, carumque parentem
12 linquere, et ignota longae regionis in ora
13 (insignis pietate licet) tot volvere casus,
14 tot vitae fueras adversa impulsus obire.
15 Spiritus aeterno recreas qui corda vigore,
16 procedens gemino caeli de numine, et uno,
17 qui solus triplexque polo regis aurea sceptra :
18 cujus nequiquam sine munere coepta moventur,
19 quae genus humanum subjecto exercet in orbe :
20 huc ades, atque animis divine illabere nostris.
21 Insinuans tacitas menti superindue vires,
22 obruta ne duro procumbat pondere Musa.
23 Tu mihi deductae post tot discrimina vitae,
24 felicis pueri mutata edissere fata.
25 Qualiter exacto luctu, crebrisque procellis,
26 ad celebris famae summa ad fastigia rerum
27 evectus, placidum vitae transegerit aevum,

ridentis vario fortunae munere laetus.
Ceu postquam horrificos irati navita ponti
evasit fluctus : et jam cum conjuge prolem
atque lares tetigit tutos : nihil aspera sentit
quae mala pertulerat : sed pocula laeta jocosque
exercet, vitamque alacris per gaudia ducit.
Omnia sic hominum caelesti lege feruntur.
Niliaca magni vir erat Pharaonis in aula,
Putiphares, equitum horrentes qui Marte cohortes
inter Primus erat, saevisque acerrimus armis.
Ille jacobiaden puerum (quem turba vagando
dum mutat merces, exili vendidit aere)
accierat tenuem per tecta operosa ministrum,
ignarus tanti casus, stirpisque sacratae.
Jamque brevi spatio tranquilla mente ferebat
servitium : ac fidus mandata insueta colebat :
Cum subito (mirum cunctis) assurgere in altum,
optatoque statu fortunae cedere heriles,
perque domum fatis felicibus omnia ferri.
Causa latet : rerum nisi forsan causa novarum
sit puer. Hunc ergo penetrali sede recedens
advocat, ac placido dominus sic pectore fatur.
"Quod tamen ante oculos nostros te numen amicum
obtulit ? Aspirant quam dextris omnia votis ?
Dum mecum libet esse tibi : libeat tibi saltem
esse diu. Nostris age jam quaecumque tenentur
sub manibus tua sint : domus haec tibi pareat omnis.
Agnovisse fidem satis est, sinceraque corda :
consiliis haec cuncta regas : te summa potestas
nostrarum maneat rerum : solum optima conjux
sit mea, sint subjecta tuis reliqua omnia jussis.
Ipse ego securusque animi, jam denique liber,
pondera nostra tuae cervici tota reponam."
Dixit, et in facti pignus data dextera dextrae.
Tum nova pertentant juvenilem gaudia mentem :
laetus abit, monitis cupidus parere benignis :
ut prius optata respondent omnia sorte.
Interea conjux domini miseranda dolore
aucta novo, ingenti curarum fluctuat aestu.
Forma placet, juvenisque pii decus ore refulgens,
quaeque erat in pulchro pulcherrima corpore virtus.
Ardet amore : graves regnant sub pectore flammae :
carpitur, est imas virus letale medullas.
Utque tremit summis umbrosa in montibus ilex,
jamque huc jamque illuc concusso vertice nutat :
dum circa Astraei furioso murmure fratres
inter se certant : vinci negat illa, sed altis
tandem avulsa jugis, praeceps ruit impete magno.
Sic animum immenso primum percussa fragore,
qua valet adversata malo obluctatur iniquo :
deinde labans, secum flammata mente volutat.
"Heu mihi, quae pestis perculsa sub ossa resedit ?
Perpetuaene igitur carpent mea pectora curae,
nec dabitur cuiquam causas aperire latentes ?
Ergo animum tanto semper maerore fatigem ?
Ibo, tot ac tantos fluctus e corde refundam.
Aggrediar dictis : forsan medicina furoris
haec erit, effari quod mente revolvimus aegra.

Sis comes o praesens quodcumque es numen amantum."
Haec inter, juvenem accessit male sana decorum :
quem simul aspexit, totos tremefacta per artus,
laetitiaque metuque pavet, haeretque : velut cum
formato videas pallens e marmore signum.
Post memor incoepti, vultum demissa profatur.
"Ante alios, formose puer, mihi carior omnes,
ante omnes meritis nostro devincte favori :
quae mihi concilias, placidae quae gaudia menti ?
Dum tanta impositum munus ratione gubernas.
Diis equidem auspicibus reor has accedere terras,
teque domum fato nostram tetigisse volenti.
Hinc rerum cessit tibi copia quaeque mearum,
tota velut nostrum te observat turba maritum.
Maesta sed heu de te quantum sub sensibus imis
vulnus alo : quanto rumpis praecordia telo ?
Quo decor iste tuus miseram me perdidit aestu ?
Quin age succurras : mea jussa capessere fas est,
et bene respondet meritis tua gratia nostris.
Sim tua, dum tua sint reliqua omnia : tu mihi solus
auxilium et requies fessae. Nihil inde malorum
sperandum : ignari procul absit conjugis ira.
Sunt mihi quae meritis expendam praemia tantis.
Namque (fatebor enim) domini clementia nostra
pendet ope : hic tua me si viderit acta probantem,
servitio si digna tuo praeconia ferrem,
qua mercede fores quanto donatus honore ?"
Sic effata, imo gemitus de pectore rupit,
aspectans avide juvenem, quae proferat ore.
Talibus attonitus dictis stupet ille, ruborem
virgineum vultu effundens : tremit inscius, ac si
praerupto varios torquentem vertice gyros
Chaoniae accipitrem fors conspexere volucres.
Tandem ait, insolito turbatus pectora casu.
"Plurima promeritam de me numquam ipse negabo,
nec meminisse tui, manet haec dum vita, pigebit
femina, post unam summe mihi amanda parentem.
Sed quae nunc animo insedit malesuada voluptas ?
Quid juvat, heu, factis miserum tentare malignis ?
An data perjurus domino nunc foedera rumpam,
et te sancte pudor violem ? Prius ima dehiscens
raptet humus. Quantos eheu ferat unica luctus
hora mihi, quanta foret haec mens saucia culpa ?
Sit licet occultum terris scelus, id tamen altus
vindice prospectat vultu regnator Olympi.
Est aliquid dempto moliri justa timore,
plenaque multorum facta evitare laborum.
Quin age spem diram coepti depone furoris,
propositis absiste viis. Quin sola marito
soli fida mane : thalami neu desere pactum."
Haec juvenis, multoque etiam his majora ferebat,
immensum afflictae sperans lenire dolorem,
atque animum penitus solando avertere curis.
Hinc abit, et tacitus quae sunt per agenda facessit.
Illa sed elusum vana ut spe sentit amorem,
majores rabido motat sub pectore flammas.
Ac velut, exsuperant cum saeva incendia quondam,
nil vires hominumque valent, amnesque profusi :

sed furit immissis late Vulcanus habenis :
sic mulier nihil arte valet, nil viribus ullis.
Certum est, dum primi fines transgressa pudoris
constitit, extremae sudare ad praemia metae.
Hoc sedet, hoc maestae noctesque diesque recursat.
Non illi Cereris, Bacchi non munera curae,
nullae laetitiae : gemmarum nulla nec auri
copia, suspensam norunt avellere mentem.
Solum hoc urget opus : caecos explere furores,
atque sequi stimulos et castra libidinis atrae.
Ergo aditus coeptis faciles, et tempora quaerit.
Annua forte dies aderat, qua tota per urbem
turba potens laetis celebrat convivia tectis.
Agglomerant jussi praedicta sub atria cives,
quaeque tori socio comitem se femina jungit :
tunc hilaresque jocos tempus tunc gaudia poscit,
sollicitos nimium lux respuit illa Catones.
Vir simul ad ritus accingitur ire vetustos.
Illa domo maeret vacua : simulatique profert
verba gemens. "Solus festum solemne frequentes,
o dulcis conjux, aegram me nescio qui nunc
confundat dolor : est certe praesaga mali mens ;
sic o sic positae blandam permitte quietem."
Credidit ignarus dictis, tectoque recessit.
Vix erat ad limen ventum, subito aegra molestum
seclusit morbum : Tyrio bis murice tinctas
induitur vestes, colloque accommodat aurum.
"His, ait, his opus est praesens in tempus : et ora
fulgida, candentesque manus tota arte serenat."
Tunc juvenem ante fores incautum apprendit, et ipsi
retro ferre pedes sic est exorsa paranti.
"Siste gradus : non te Gaetulae dira leaenae
saevities, non te infestat rapidissima Tigris ;
sed quae prae reliquis foret amplectenda, per omnes
quam peteres casus, dubiis solacia rebus :
ni tantum ingratus, rigidi nisi pectoris esses.
Pulchrum equidem fuerat precibus mollescere nostris
et patulas primis aures tribuisse querelis,
sed nunc illa, favens monitis, mihi coepta rependas :
quae facienda olim petii facienda memento.
En ego, letali mentem defessa dolore,
te solum gemo, te miserabilis ardeo solum ;
unius aut superem merito, aut exstinguar ab uno :
tu potis es tantas animis exscindere curas.
Sin nostris idem tamen adversabere votis,
non hominem, rigidis sed dicam e cautibus ortum :
dura seges ferri accrevit praecordia circum,
immanesque suis uri eduxere latebris.
Te propter domino ficta est fallacia nostro,
posthabui tenero genialia gaudia ludo,
praeposui amplexus optatae lucis honori.
Quin age, nunc placitis invitant cuncta hymenaeis :
me sequere, et quidvis pete : me tribuente tenebis.
Quid dubitas ? En perge, diu quid coepta moraris ?
Si mea dicta neges occlusas mittere in aures,
non laeta casus mente experiere futuros :
commoda si nequeant tamen ipsa pericula flectant."
Ipsa ego mendaci linguam sermone resolvam,

persuadens domino scelerati exorsa ministri :
fregerit hospitii qui jura verenda, fidemque,
affectans lecti foedus temerare pudicum.
"Quis tibi tunc animus, quanta hinc incommoda surgant ?
Utere dum licitum laetis, ne adversa sequantur :
me tibi vel facilem, sive experieris amaram.
Sint efficta : fides tamen haec efficta sequetur."
Sic memorans, lacrimas specioso proruit ore,
singultusque dedit, velut his amor omnia vertat.
Ille nihil contra : fremitu nihil oppugnante
subsidit, tollens animos audentior obstat :
magno corde domat curam, divinaque mente
jussa agitat : parere dei negat alta voluntas.
Immotum durat pectus, scelus abjicit omne :
nil lacrimaeque precesque valent, vis nulla minarum :
fixum est, immani numquam succumbere culpae.
Injicit ergo manus furiis impulsa silenti,
vique trahit sedi occultae ; rapit ille ruitque,
festinatque fugam tristis, liberque relicta
prorumpit palla, praeceps penetralia linquens.
Ceu cum forte dolos persensit callida vulpes,
fertur in arva volans trepide, socia agmina donec
per nemus aspexit : tunc sese adjungit, et omnem
exuit insidiis quem coeperat ante dolorem.
Servatae pietatis amor, servata pudoris
religio, et fidei, juvenilia pectora mulcent.
Tum vero dubia mentem formidine pressa,
stat, sua flammato pervolvens pectore facta,
nescia consilii : regnant iraeque timorque ;
tandem alternanti prorumpit talia corde.
"Mene igitur coeptis victam desistere ? Mene
nequiquam tentasse minis, tentasse precando,
nec posse imperiis immitem astringere nostris ?
Quippe mihi fors dura vetat. Nonne ipsa per aulam
quae regina meam incedo, quam turba verentur
plurima, non tantos possim compescere fastus ?
Experiar vires spretae, quam angusta potestas ;
an dolus, an virtus, quis enim in muliere requirat ?"
Hanc ego distractam fugitivo corpore vestem
expediam domini maerens redeuntis ad ora :
haec mihi pignus erit : scelus haec manifesta probabit.
Hinc commissa luet, falsa sub imagine facti :
optabit facilem sese tribuisse roganti,
et quondam immensos miserae relevasse dolores.
Haec secum : tectique sui interiora revisit,
atque novis gestu vario se accommodat ausis.
Jamque aderat conjux, sollemni more peracto ;
unica cura fuit nuptam spectare relictam,
et melius subiti causas perpendere morbi.
Accessit : fusosque videt per colla capillos,
et tristes vultus maestae vestigia mentis,
indecoremque habitum. Visu conterritus haesit,
ac majora timens domui, sic vocibus infit.
"Heu spes nostrarum rerum, mea sola voluptas,
nostrae deliciae ! Quae causa indigna serenos
foedavit vultus ? Quis te dolor obruit aegram ?
Quis te casus habet ? Caecos nunc exere luctus :
nil decuit carum sponsam celare maritum.

Nusquam abero : seu te propter pars maxima nostrum
infestetur opum, seu nostrae commoda lucis.
Hic status afflictos versat ; sic optima mater
exstinctam plorat sobolem, sociumve jugalem.
Illa sedet, simulata oculos, simulata pudorem :
ter conata fuit quaesitas edere causas,
Terque gemens voces ficta probitate tenebat.
Post ait : " O varii solamen mite laboris,
cui pater intactam mansuro foedere junxit,
eloquar, an sileam festivae opprobria lucis ;
eloquar ergo meum sub vestras dedecus aures ?
Quis novus, heu, nostris successit sedibus hospes,
tradita cui rerum conjux est cura tuarum ?
Scilicet hic poterit domui succurrere pressae,
atque malum fido quodvis avertere corde.
Ecce opportuni sceleris dum tempora captat,
irruit hic tacitam, secreta sede latentem,
nescio quid de me perversa fraude requirens.
Dumque abitum mandans exorsa impura recuso,
vi miseram aggreditur, vi quod modo postulat, edit,
pertentatque minis, ut lecti foedera solvam,
absentisque ipsi tribuam nunc jura mariti.
Heu facinus ! Quid non audet vesana voluntas,
haeccine pro meritis pendantur praemia nostris ?
Ut me divinae tantum virtutis amantem,
altricemque sui, dignam isto crimine ducat ?
Hanc age (teste opus est si forsitan) accipe vestem,
hanc manibus nostris motus terrore reliquit.
Nam mihi femineus cessit pro robore clamor,
hae nostrae vires : subito se proruit ille,
accitam metuens turbam, poenasque futuras.
Quis tibi nunc animus, quantum haec injuria mordet ?
Fallor, an ipse etiam moribundam deseris ? Et te
nil socio tangunt illata pericula lecto ?
Nunc tibi qui sit amor, nostri quae cura patebit."
His animadversis, domini furor iraque mentem
praecipitant : fertur, veluti truculenta leaena,
advectat catulis praedas dum forte relictis,
interea lupus infirmum pervenit ad agmen,
spectat ovans, jam jamque animus demergere dentes ;
illa volat, rapidumque procul perterritat hostem,
fulmineas prensumque iras exercet in ipsum.
Haec inter, visu sese tulit obvius ille,
(usque adeo nil triste timet mens conscia recti)
ilicet obruitur : "Quis te malus occupat error,
inquit herus, quae vis agitat tam indigna parantem ?
Dissimulare nefas etiam mihi perfide speras,
et blandos offers vultus, ac mollia verba ?
Nescis quae tua sint nescis perjuria ? Quin te
nunc manibus prostrasse meis, hausisse cruorem
ense juvat : tantos dabitur sic sistere motus."
Dixit, et arripuit radianti cuspide ferrum,
quo miserum nigro corpus demitteret Orco.
Tunc famuli prensantque manus, gladiumque coruscum,
iratumque virum precibus lacrimisque fatigant ;
ipsa etiam (licet irarum sit causa) furentem
detinet incoepto mulier, caedemque repellit.
Ergo ait : "Huc celeres, manicas et vincula ferte,

ferte, ligate citi : caeco occludatur in antro ;
hic scelus expendat, tali nunc regnet in aula.
Ito igitur, quo digna vocant te praemia : duras
experiare vices, postquam aspernare secundas."
Oravit veniam pavitans : "Nil deprecor, inquit,
supplicium aut mortem, vox si permittitur una :
unica vox nobis dabitur pro morte suprema.
Nil gemitus, nil vota valent : abducere mandat,
aut subito ante oculos tristi deperdere leto.
Carcer erat, caveis horrens immanibus intus,
hic Phario regi qui peccavere tenebat ;
dira loci species, nulli tangenda beato :
labe carens juvenis turba huc stipante recessit.
Quid struis ? Heu propius demens res aspice tantas,
parce pio generi : non hoc sub pectore crimen
mansueto latuit, sceleris nil prodigus ille.
Quin istam potius quae vanas excitat iras,
his absconde locis, his dignior illa latebris.
Praebe aures querulo, mentemque adverte precanti.
An tibi feminei generis sic cognita fraus est ?
Nescis quod tumido sedeat sub corde venenum ?
Ille animum intrepidus, confert se ad triste barathrum,
spe sua damna levans, premit altum corde dolorem,
mens sibi sola quies, non ulli obnoxia culpae."
Scilicet hoc terrere virum, res prodere fictas
debuerat : nisi fata Deum sic certa fuissent.
Succubuit : magno committens cuncta parenti,
nec quicquam illius statuens sine numine ferri :
huic, seu clara dies, seu nox obduxerat orbem,
intemerata pio persolvit pectore vota.
Audiit orantem Pater, insontisque misertus,
implicuit blandos custodi carceris ignes :
qui pueri justos mores, formamque fidemque
scrutatus, casto captivum amplexus amore est.
Vincula continuo pedibus jubet arta levari,
liberiore via clausos penetrare recessus,
atque epulis teneram lautis defendere vitam.
Quod grave erat reliquis, huic ad meliora redactum,
tanta preces homini producunt commoda justae.
Forte duo simili poena commissa luebant :
qui Pelusiacum facto offendere tyrannum.
Alter regali mensae Cerealia dona,
alter Lenaeum laticem ponebat in auro.
Saepius assuerat vinctos accedere liber ;
tunc soliti, causas alte explorare vicissim,
cur veniant, loca quid miseri infelicia tangant.
Illum admirantes ambo stupuere : videbant
quae foret egregio sapientia pectore clausa,
quae virtus animi ; (numquam caelestia dona
delituere diu) magno venerantur amore,
illius voces solamina dulcia captant.
Nox erat, et per humum requies animata fovebat,
omnibus umbra locis, tenuere silentia terras.
Vinctorum ante oculos nova se manifestat imago,
in somnis, tum laeta simul tum tristia portat.
Expavere ambo, spe facti, altoque timore.
Somnus abit : sedere animis ac corpore tristes,
nocturna ancipiti tractantes visa dolore.

Miranti prior haec juveni pincerna profatur.
Heu quae suspensam terrent insomnia mentem :
"Quid mihi cum magno tristi sub carcere rege ?
Fallor, an hoc verum nobis portenditur omen ?
Dic age, quae tantis surgat sententia rebus.
Nam memini primis docte explanare diebus
visa sub obscurum patriis tibi sedibus olim.
Scilicet ut fratrum numero permixtus amico,
colligeres Cereris laetissima dona resectae ;
inter opusque, tuum subito accrevisse maniplum,
stare loco fixum, specieque excedere cunctos.
Ast alios trepido passim concurrere motu,
insignemque illum colere, illi impendere honores,
quos dominis humiles tribuunt de more ministri.
Praeterea Phoebum nascentia luce foventem,
atque vices Lunam certas genitricis agentem,
undenasque poli stellas, se mittere ab alto,
te puerum precibus venerari, ac solvere vota ;
nec te abstrusa latet venturae sortis imago.
Si quid habes, animo quod discutis inde sagaci,
vera mihi, fuerint prudens quaecumque fatere.
Vidi ego protrusos terno de palmite fractus,
purpurea laetos specie, insignique decore,
quos ubi jam plenis fervet vindemia labris,
vix ulla carpunt hilares de vite coloni.
Hinc ego divinum laticem in regalia pressi
pocula, dein regi spumantia musta ferebam ;
suscipit ille volens, et dulcia munera libat.
O utinam dubiae faveant jam numina causae,
ne fors eventum placidum in contraria mutet.
Tum pius huic juvenis. Felix, cui talia visu
obtulerunt sese, quae non oblita recenses.
Non tibi jam strictis haerebunt vincula palmis,
nec luctu tristi infestus post carcer habebit.
Liber eris, claramque iterum remeabis ad aulam,
exercens solitum renovato munus honore.
Ecce Deus terris immisit dona Lyaei,
ut mentes hominum saevo maerore levarent,
laetitiam generi insererent, blandumque favorem.
Ille etiam pateris libato hoc munere gaudet,
placaturque animum, susceptas exuit iras.
At tu, sceptrigero caelestia dona potenti
porrigis e triplici postquam compressa racemo,
laeta facis, durasque abigis de pectore curas.
Tertia lux veniet diuturnae meta querelae,
sistetur portu cymba exagitata petito.
At simul exieris, simul haec responsa patescent,
nec quicquam vani tibi praescia lingua locuta est,
nulla tuam nostri capiant oblivia mentem,
sis memor indigna compressi sorte sodalis,
cujus ab alloquio tardi mora dura diei
praecipiti effugit cursu, qui saepe benignis
tabificos potuit dictis avertere luctus.
Non aliqua exacti sceleris me culpa, laborum
obruit hoc cumulo : pietas tutissima virtus
causa mali nobis, pietati haec praemia cedunt.
Sic justos casu sors saepe fatigat iniquo.
Talibus auditis, persentit gaudia vinctus,

gaudia, quae fuerant vitae non nota priori."
Tum grates agit, et memorem se spondet amico,
opperiens placidum revoluto tempore sinem.
Ast nova pistori capto quoque vocibus istis
spes oritur. Quippe huic etiam se nocte silenti
insolita obtulerat facies, de principe laeso
multa monens. Timuit primum, dein talibus infit.
"Me quoque, cui caeci permissa potentia fati,
numina qui divum sentis, venturaque calles,
me facias certum super his, quid nuntiet edas.
In somnis, capite elato tria ferre canistra
me vidi : duo triticeos ostendere panes,
diversasque dapes aliud, quas saepe solemus
regali vario luxu proponere mensae.
Venerunt volucres lapsu per inania caeli,
unguibus et diro rapuere cibaria rostro,
semesasque meo liquerunt vertice praedas.
O utinam eventus tales fortuna serenet,
nec triste augurium fata infelicia portent."
Tunc vates : "Tibi laeta equidem depromere possem,
sed sero, aut numquam vitae ventura supremae.
Tristia designant haec visa : utinamque liceret
mendacem esse mihi, didici qui fallere numquam.
Vita duos mansura dies tibi, non datur ultra ;
terminus instabitque aevi, finisque laborum.
Id duo sic poscunt calathi : sed tertia clarum
extulerit dum Aurora diem, prodire sub auras
fas erit invito : saepe id tamen ante volebas.
Sublimi ante oculos pendebis in aere vulgi,
densabit genus aligerum, liquidum aethera tranans,
undique disrumpent avido tua gutture membra,
hinc nihil eripiet, non spes opis ulla relictae."
Jamque dies alterque dies processerat, ambo
responsa exspectant, hic tristis, laetior ille.
Tempus erat, dias quo primum luminis auras
hauserat, et limen vitae ingressus fuerat rex.
Convocat ipse memor cunctos ex ordine, quorum
nititur officiis mandatoque aula labore.
Confluxere viri, coetu atria lata replerunt.
Munere tum Bacchi, sacrisque ex more litatis,
indulgent Genio, et celebrant natalia laeti.
Vidit abesse duos, proprium quos crimen abegit,
vidit, et excelso versans haec pectore secum :
Continuo caveis dat jussa educere clausis,
atque ministerio veteri praeponere, mensam
qui spumante mero longis decoraverat annis ;
ast alium obscaenis avibus dimittere praedam,
suspensum palo, sceleris pro lege nefandi.
Haud secus ac jussi faciunt. Praedicta futurae
apparent sortis, vates nihil ore fefellit.
Ergo puer solus sub iniqua sede relictus,
anxius excepit majores pectore luctus :
spemque inter, consors poenae quam voce dedisset,
quaque Deo confisus erat, spatium omne peregit,
quo solitum obnitens superat bis Cynthius orbem.

## LIBER II.

P1_02
Interea efflantes vitalem naribus ignem
quadrupedes caeli, vestigia tertia carpunt,
signiferum per iter statuentes tempora mundo.
Non spes libertatis erat, sub carceris atro
viventi tecto, nihil evolvisse priorem
pincernae immemori felicia fata juvabat,
quippe haec mens hominum, rebus sublata secundis.
At divumque hominumque Pater, rerumque repertor,
cui curae mortale genus, qui facta piorum
observat, Phariae rejecit lumina terrae.
Ardentes capit aure preces, miseratur iniquis
luctantem curis : justam stat ferre salutem.
Cogere concilium, sacrasque ostendere vires,
magna exordiri libet, ac miranda per orbem.
Est medio caeli sedes, cultissima gemmis,
argento atque auro radians : nil pulchrius usquam
sol videt, immensum quando metitur Olympum.
Regia non indigna Deo. Mira extudit arte
natura omniparens illic primordia rerum,
ut tener ingentis mundi concreverit orbis.
E limo veluti surgat novus incola terrae ;
vut maris e costa tollat se laeta virago,
imperitentque feris ambo, rebusque creatis.
Quodve malum exilio felicibus expulit hortis,
heu, nimium arguto delusos angue parentes.
Hinc seriem quam tempus agit. Quae vita sub aevo,
dum sine lege homines justumque piumque colebant,
aureaque integris currebant saecula fusis.
Quae species populo effreni, cum corniger heros
jussa tulit digitis supremi exsculpta Tonantis.
Quae facies, promissa polo cum mittitur alto
progenies, hominem vitae insertura beatae.
Utque incerta dies olim sublapsa repente,
exitio terrae molem, mare, sidera, mittet,
atque nova melius nascetur origine regnum.
Hic veneranda sedet, sedet infinita potestas,
imperii ingentis nutu molitur habenas.
Numina conveniunt, quibus est domus aureus aether,
mobilibusque petunt Jovis alta palatia pennis.
Semita quae ingressus bipatentem praebet in aulam,
discursu fervet lato, ac fulgore relucet.
Ergo ubi consedere, omnes longo ordine spectat
sedato excipiens vultu Pater. Haud sine causa
insigni, divum gens accersita venitis :
magna paro in terris, dum me mortalia tangunt.
"Me duce, homo partem divinae mentis, et haustus
imbibit aetherios ; promissa est gratia cunctis
auxiliumque potens ; justo qui pectore nostra
connituntur ope, ac dubiis me rebus adorant.
Non ego, non, gemitus atque anxia vota piorum
horrisono Boreae, seu nubibus irrita donam.
Est mihi, qui indignum vasto projectus in antro,
sincera probitate viget. Noctesque diesque
integrat ille preces : solum me in tristia poscit
ductorem. Pietate tulit si incommoda tanta,
hac etiam pietate ferat sua praemia victor,

eripere est animus, tranquillae reddere sorti ;
eripiam, nec versa retro sententia cedet ;
indubitata olim recolant exempla minores."
His dictis movitque polos, laevumque serenum
intonuit : tum divi omnes eodem ore fremebant.
Protinus aetherium stellata in veste ministrum
advocat, assidue fidus qui ad limina custos,
interpres mandata patris jussa ad loca defert.
"Labere, ait, subitis ad regna silentia pennis,
qua jacet, et requiem proflat de pectore Somnus.
Dic, magnum ad regem, cui fortunata Canopi
gens paret, varioque effusus gurgite Nilus,
somnia transmittat miras imitantia formas.
E quibus ubertas felix, et tristis egestas,
sint manifesta viro : quae jam septena per orbis
Phoebei spatia incipient invadere terras.
Sic mihi servetur, puro qui vota vigore
indefessa refert." Parat ille per aera cursum,
aligeris fretus pedibus ; virgamque potentem
ambrosiae succo saturam capit, hac fera Lethes
jura domat, monitumque tenens altissima scindit
nubila speque volans sopitas praecipit aedes.
Qualis ubi rubra fulvus Jovis ales ab aethra
argutum insequitur Cycnum, siccisque rapinam
faucibus exspectat ; placido tum corpore praeceps
radit iter liquidum, stridorem temperat alis,
donec opes victor placitas tenet unguibus uncis.
Jamque fores subiit caecas grave olentis Averni.
Non procul hinc tollit se vertice mons cavus alto ;
quo, consanguineus thalamo Leti Sopor aureo
pallida membra fovet, nulli umquam assueta labori.
Nox et amica Quies habitant, lenique susurro
induit increpitans curis oblivia Lethe.
Humida per ripas sparguntur mella, caputque
ostentant gravidum nutante papavera collo.
Tot variae gemina sidunt e parte figurae,
quae missae illudunt recubantia corpora somno ;
quot numquam aestivo glomerant sub sidere circa
infesti culices ; textum cum pastor in orbem
pinguia congesto de lacte coagula pressat.
Accessit, baculo forti simulacra repellens,
pulsavitque torum, quassans stertentia divi
membra, comasque agitans clamorem fundit in aurem :
donec dissolvat tenebras, alteque sepulto
quid veniat monstret, cujus mandata reportet.
Tum sic affari. Rex ille hominumque Deumque
jussa renarrari voluit haec seria per me.
Qua facilem sera captat sub nocte quietem
gentis Niliacae princeps, admittier umbras
imperat effictas, rapido qui fulmine terret.
Hinc dispar geminos casus portendat imago.
Ut placido septem procedant ordine messes,
undanti nimios referentes fenore fructus.
Ut totidem subeant, queis multum exercita tellus
agricolae minima vice respondebit avaro ;
tum larga admirans fortunae dona prioris,
cum gemitu exiguos vectabit ad horrea acervos.
"Tu potes haec variis homini portendere monstris :

mille tibi hic artes : fecundum concute pectus.
Nec te pigra quies tantum juvet ; alta supremi
quo praecepta minus cures properanda parentis."
His actis, sese tenebrosa a sede recepit,
caelorum convexa petens, stellantia regna.
Tres Somno genitore tulit Nox humida natos,
Phantason, argutumque Phobetora, Morpheaque acrem,
incertum variumque genus, qui celsa potentum
atria conscendunt, venturi signa docentes.
Eligit hinc geminos, quorum se in corpora primus
transformat pecudum omnigenum simulata Phobetor.
Alter, res animae vacuas sibi Phantasos aptat.
"Non opus est, nati, longis ambagibus inquit,
jussa parate citi vestras modo lata sub aures :
ipse parens Divum fieri sibi talia mandat.
Scire datum vobis melius, quo more quod instat
confieri possit ; cedat mora, pergite ad auras :
vis mea me blando cogit succumbere lecto."
Illi iter aggressi celerant, qua cornea veros
porta dat egressus, et limine sistit Averni.
Alitis erumpunt in morem, quam lare pastor
vimineo captam tenuit, speculata petitum
illa fugae tempus, pennis in nubila surgit.
Exercent laeti fallacia corpora passim :
nunc formis tendunt aliis, aliisque vicissim,
donec ad augusti venere palatia tecti,
dux ubi de media carpebat nocte soporem.
Insinuant foribus clausis, ceu roscida Phoebe,
cum tremula vastis se infundit luce fenestris.
Ergo operi accingunt tacite, primusque Phobetor
ante torum penetratque oculos animumque jacentis.
Tum septem statuit specie praestante juvencas,
pectora praepingues, torvas facie, omnia magnas,
immunesque jugi, quaeque optima pabula pastas.
Adverso totidem surgebant fluminis alveo,
horrendae visu facies, foedissima turba :
pectora confectae macie, squalore perunctae
immundo, turpique situ, quas dira vorandi
implicuit rabies, numquam exsaturanda voluptas.
Tunc inter medias venit furor. Ocius omnes
invadunt pulchram gentem subitoque tumultu
ingens exoritur bellum, vi proelia fervent.
Instant indecores turbae, cursuque fatigant
corpora pulchra boum, morsuque ictuque lacessunt.
Tandem pestiferas immani vortice fauces
diducunt, prensantque alias ; diroque palato
absorptas (miserum) ventris sub Tartara condunt.
Non tamen hinc melior species apparuit ollis,
sed rigor, et macies mansit, deformis imagoque.
Occupat immensus factum pavor ossa tuentis,
excutitur somno, sudor fluit undique membris.
Phantasos assistens, Lethaeo tempora ramo
mulcebat, riguam reddens in membra quietem.
Tum septem calami unius formabat aristas,
aspectu insignes, laetas, quas Gargara flavis
vix generant campis, aut divite Moesia cultu.
Parte alia totidem, lacrimabile subrigit omen,
arentes, victu cassas, emortua spicis

semina ; ceu steriles agros ubi pestifer ussit
Sirius, atque aegrae segetes herbaeque laborant.
His actis, petiere domum illaetabilis Orci.
Vix tenuere etiam, reliquas ne plura per oras
injussi ducibus magnis simulacra referrent.
Jamque dies summos dono gratissima Divum
spargebat montes, aderat rebus color et lux.
Tum Rex sollicitus strati velamina linquens
aurea, nocturni repetebat temporis acta.
In sua tecta vocat, quibus ignea sidera parent,
qui fibras pecudum inspiciunt, linguasque volucrum,
qui portenta Deum expendunt, obscuraque fata.
Adveniunt properi : narrantur spectra per umbras
Terrifica, et petitur quid numina magna reposcant.
Ordine considunt tristes animoque sagaci
perquirunt, quid fata parent, quae fors nova regno.
At nihil hinc certi eliciunt ; sed voce timorem
ingeminant : magno turbantur pectora motu.
Ut, quando tristi correptus corpora morbo,
melliferarum avium languet dux ; cerea vulgus
circum castra gemit fremitu, trepideque susurrant ;
inter se coeunt densae, tractimque dolorem
testantur communem. Haud setius aula resultans
miscetur luctu, varius fremor atria complet.
Tum vero admonitus vatis pincerna reclusi,
secum indignatus : "Quae nostram oblivia mentem
coeperunt ? Promissa equidem praestare necesse.
Haec erat illa fides, sic me data foedera tangunt ?"
Ergo turbati properans ad principis ora,
ut fandi data gratia erat, sic pandere pergit :
"Nunc animos iramque tuam, Rex inclite, vince ;
agnosco, doleoque ducis praecordia tanti
meque scelusque meum super exarsisse : fatenti
sis oro facilis. Sic o tibi numina verum
ominis eventum reddant, placabilis ut me
respicis, ut facti jam paenituisse probabis.
Dicere si fas est humilem, verba haec animo hauri.
Est juvenis, genus Hebraeus, clarissimus ortum,
virtute et forma egregius. Durissima captum
jam fortuna tenet, mecum simul ante tenebat.
Non ille ignarus, signent quos praevia casus
portenta, et rebus veniat quae forma futuris ;
hos mihi captivo jam tum memorabat honores :
pistori exitium non fallax ipse canebat,
letalemque diem, postquam sua somnia uterque
edocuit, seras nobis allata per umbras.
Consilii si cura mei, nunc exime vinclis,
quaesitu quid fata notent, qualive laborem
effugias toleresve modo. Nihil ille recludet,
quod non eventu doceant sua tempora certo."
Annuit, adduci mandans spe fervidus ille.
Turba citi peragunt, reserant immania claustra,
exsolvunt luci statuentes, et nova circum
insternunt velamina pulveribusque capillos
turpatos mundant, nitidum mox sistere Regi.
Qui longo obtutu defixus, talia promit :
"Venisti tandem dubiis spes unica rebus,
venisti ? Ut luctu exueres vastoque dolore.

Tune ille arcani nobis qui jura retexat ?
Felix, o nimium felix, cui numina tantum
magna favent : hominum per me tot praemia nemo
auferat. Eia age, jam vanum dimitte timorem :
noster eris, modo vera feras, ambage remota,
quae sentis aperi : veris nil vocibus obstet."
Humida jam roseis currebat Delia bigis ;
in somnis, septem fluvii vada propter amoeni
erravere boves, speciosae et corpora pingues.
Mox alia septem de parte ascendere specto,
forma terribiles, macras, viridaria late
tondentes campi. Penuria adegit edendi,
irruere, et rapido pulchras absumere dente :
demittunt stomachi caveis, vultus tamen idem
qui fuit ante manet. Me ingens circumstetit horror,
frigida percurrens turbat tremor ossa ; relabor,
atque aliud tandem aspicio praesentius omen.
En pingui in stipula septem florescere spicae
incipiunt, grato decorantes arva vigore.
E regione, pares numero se tollere ad auras,
dissimiles primis, jejunae, ac prorsus inanes ;
hae quoque conversae, vires melioribus omnes
exhausere, colorque et pristina forma remansit.
Ista super, vatum mihi nulla scientia certos
prodigii fines memorat ; caecus tenet error
quoslibet, interea dolor hic me tabe peredit.
O tibi si liceat tantas propellere curas,
sique humili faciat Deus haec arcana patere.
Substitit, ac reputans aliquantum, docta resolvit
ora precaturus : "Rector terraeque polique,
numine sub cujus simul haec, et cuncta geruntur,
qui mecum fueras antehac, ades, ut mea verum
lingua sonet, fugiantque doli, tua facta, tuumque
hoc opus est. _ Eadem geminis sententia monstris,
heros magne, latet : nunc caeco absiste dolori.
En bobus, spicisque itidem suus usus in arvis,
his, duri agricolae spes et sua gaudia ponunt,
sustentantque domum tenuem. Vidisse sed inquis
septenas numero informes, aliasque decoras.
Temporis eventus duplices (velut auguror) adsunt.
Scilicet advenient septem felicibus anni
auspiciis : telus ubi credita semina fido
effundet gremio, dulcissima rure voluptas
regnabit, pleno florescet copia cornu.
Nil campis aberit, validus gaudebit arator,
omnia reddet humus, dives quorum indiget usus.
Haec ubi transierint, impar fortuna per agros
ingruet, ac similes miserum desaeviet annos.
Arebunt herbae, nil surget in aera vivum ;
aut si qua exsurget, victum seges aegra negabit.
Questus erit, plangorque ingens fallacibus arvis.
Obducta haerebunt nodosis pascua juncis ;
ipsa Pales fugiet campos, et pastor Apollo
cum tribulis lolium invisum, spinaeque cruentae,
carduus, exustae certatim orientur avenae.
At non, aeternus genitor praesciscere casus
hos jubet, ut mentes confusas territet ante,
sed potius leve reddat onus, moneatque malorum

quo pacto evitare vias impune queamus.
Nunc vero, mea si non irrita dicta putaris,
si consulta libet dejecti audire ministri,
expediam, quo tempestas sit more ferenda.
Mandatum populi capiant, quoscumque potenti
sub sceptro virtus prensat tua : parcius almae
fructibus utantur terrae, modus aureus assit,
qui jubeat parvo contentum vivere vulgus,
dum facili passim spirat fors dextera vultu.
Quod satis est largire tuis, deperdere abunde
nil sinito : sic justus ages. Proinde omnia ruris
munera convectans pesti praepone sequestrae.
Copia praecedens venientia damna levabit,
temporis angusti, nec gens pecudesve nefandum
occumbent : servator eris plebisque tuique."
Obstupuit verbis heros, ceu forte revulsis
aedibus, ut quidam sumptu largoque labore
fundamenta locans, instat : simul inter agendum
thesauri antiquum pondus prospectat ab imo
detexisse suos, dubius miratur et haeret,
donec se capiens dona insperata resumat.
"Dicta placent, inquit, superis ea certa voluntas,
ominis haec ratio est, hic inextricabilis error ;
talia nec quisquam retulit prior : unius arte
Divina servamur age excelsum tibi nomen
nunc erit ex humili ; meruisti praemia, quae vix
digna reor solvi posse. En permissa potestas
ista super, quaecumque mones, tu cuncta gubernes :
utile quod regno duces, curare memento,
exige, quo crudele malum sit mitius, oro,
nec pigeat subiisse oneri, praebere feracis
annonam terrae, tua quod vis provida monstrat."
Haec ubi dicta, auro solidum gemmisque micantem
detraxit digitis orbem pignusque vetustum
donat habere viro. Insigni tum praecipit ostro
velatum, regisque potens insigne gerentem,
quadrijugo duci curru, regnata per arva
imperii, ostensoque dari praeconia laudum.
Suscepit gratanti animo nova munera vates ;
omnibus invectusque locis, ad semina fruges
porgebat sollerte manu, remanentia condit,
metiturque annum parce, occurritque futuris.
Jamque adeo ipsius late increbrescere nomen,
famaque vulgari : summos jam certus honores
coeperat, adversis prodibant gaudia pulsis.
Quippe has fata vices vertunt mortalibus aegris.
Interea tacito currebant prospera lapsu
saecula, fatales dextre volventia motus.
Suave decus campos, et vivida gratia habebat.
Humana exsultant progressu corda benigno,
laetus ubique vigor, gratissima rebus imago.
Pandit terra sinus, solitosque uberrima fructus
exsuperat longe, gazae excipiuntur opimae.
Haec eadem immoto durabant cardine, donec
septeno Phoebi cursu rota circuit axem.
Post hinc ad pejus retro fortuna referri.
Decolor urget humum species, rigor horridus instat :
aegrescunt viduae segetes, luduntur agrestes

seminibus jactis, oritur miserabilis angor
confestim, servetque magis. Ceu murmure silvas
pervolitant primo venti, crepitantque frementes ;
mox subito irrumpunt Eurusque Notusque furore,
pervertunt, quaecumque moram fecere : fit ingens
pontigradis terror nautis. Sic illa mali vis
incumbit, graviusque premit, cunctisque minatur.
Si qua etiam cauto congesta fuere colono,
sunt spatio consumpta brevi, dum prospera sperat.
At tenor immitis durat, nullumque levamen
apparet miseris. Ergo tecta ardua Regis
suppliciter tristes adeunt, facienda requirunt.
Ipse, heroa alto praecordia tactus amore
accersit, rebusque monet succurrere fessis.
Tum pius agresti thesauro onerata recludit
horrea : tum justo servatos munere victus
dividit. Almus amor quoscumque fatigat habendi
turba fluunt, diramque levant quae irrupit Erinnyn.
Ora etiam, sceptris quae libera dissidet istis,
poscit opem, externa gaudetque refecta salute.
Omnibus unius sapientia restituit rem.
Haec inter, se triste malum crudelius infert,
diversosque sinus penetrat, qua nobile regnum
hunc talem gremio Cananaea creavit alumnum.
Hic quoque dira fames stimulat : ceu cetera nusquam
exsistens, miseras cruciatibus obruat urbes.
Isacides genitor, curis annisque gravatus,
corpora natorum cum luctu undena suorum
advocat in coetum, maerensque ita farier infit.
"Cernitis, o mea progenies, ut rector Olympi
turbarum immensa delicta coerceat ira ?
Finibus ut cunctis fervens populetur egestas ?
Quo fortuna loco ? Nostras at nuntius aures
appulit, esse virum, Pharii qui sceptra gubernet
imperii, casusque graves praesenserit ante ;
et nunc auxilio subeat, congesta ministrans
dona sacrae Cereris, genti externaeque, suisque.
Ite igitur mea progenies, servate parentem,
hanc servate domum : spondet via sola levamen.
Ducite cornipedes asinas, currusque volucres,
aeraque, quodque usu visum est. Vos foedere firmo
ite decem, fortes animi, spectata juventus.
Unicus ille patri maneat, modo inutilis annis,
extremum moriens Rachael quem cara reliquit.
Ipse ego, praeteritis detur si viribus uti,
qualis eram, patriae jussus cum finibus irem,
inque viis, posita ad terram descendere scala
caelicolas spectarem ; hinc ad juga ductus Eoa,
sub duce Nachoride innumeros tolerare labores
infracta poteram bis denos mente per annos :
complexu vestro jam non divellerer usquam.
Tu quoque nunc una, sinerent tua fata, venires,
atque viri coram posses agnoscere vultus,
consilioque juvare tuos, carissime quondam
gnate, sed heu nimium nimium crudelibus use
suppliciis, rabidae quem diripuisse feruntur
per nemora alta ferae, cura exitiosa parenti."
Dixerat haec ; oculis guttae liquuntur obortae.

Talibus ardentes isti erubuere loquelis,
factorumque pavor praecordia conscia pulsat.
Limina deseruere citi, festina parantes
corpora discessu, mandatis singula adornant.
Postera palantes stellas Aurora fugarat,
auricomumque caput monstrarat ab aequore Titan ;
digressu accincti steterunt genitoris ad ora,
rite, relinquendos puerumque senemque salutant.
Immiscent manibus dextras, blanda oscula figunt,
concava femineus pervolvitur atria plangor,
corripiunt spatium, patriisque feruntur ab oris.

## LIBER III.

P1_03
Postquam iter ignota tandem regione peractum,
devenere locos, ubi rector munera vates
frumenti, populos auro partitur in omnes.
Convenere virum, divino cujus ab ore
inclita virtutum multarum semina lucent.
Et subito permoti animos gravitate verenda
incipiunt humiles, pacemque ex more precantur :
"Rex atque alme pater, fatalis provide casus,
justitia ante alios longe praeclarior omnes ;
respice nos, quos extremo deduxit ab orbe
fama tui, crudele malum lenire parantes.
Non vi, sine dolis vestros tentare penates
venimus, aut gentem cupidi populare superbam :
non ea mens miseris, non haec fiducia cordi.
Est locus, a Canaan antiquo praeside dictus,
quem tulit impuro de semine Noha nepotem.
Impia gens illo quondam de sanguine creta est ;
tum terra agnatum nomen Cananaea tenebat.
At pater altitonans, qui judicat omnia vindex,
expulit hos, stirpique solum promisit Abrahae,
quae tenet et longos jam nunc dominatur in annos.
Hic pater Hebraeo degens e stemmate Jacob,
quattuor e thalamis bis sex producere natos
sustinuit : spectare decem tibi jam datur una.
Alter ab his, dura Parcarum lege peremptus,
quem nunc aerumnis multum infelicibus acti,
cum genitore pio lugemus lumine cassum.
Ast alius primo nondum maturus ab aevo,
ante oculos patrios solamen dulce remansit.
Nos, quia saeva fames natalibus aestuat oris,
adsumus hic, lapsis quaesitum dextera rebus
auxilia ; et fidem vestra virtute salutem
speramus : servate domum, succurrite pressis.
Hic pretium, et merces Cereris pro munere digna.
Vos sperate Deum memorem rectique malique,
singula per mundum justa qui lance rependit."
Haec fati, exspectant solacia blanda silentes.
Ille autem contra, verbis haud mollibus usus
(agnovit namque ipse viros, ignotus, et imam
condoluit mentem graviter, seseque repressit)
asper ab ore sonat : " Qui vos furor excitat ardens ?
Audetisne solum perversi invadere nostrum,

immensoque duci fallacia fingere furta ?
Vos equidem arcana sub proditione venitis,
exploraturi tacite. De praesule regni,
confisi optatas nobis avertere praedas.
Haeccine causa viae est, haec est fallacia junctis ?
Non eadem audaces huc misit terra, nec uno
de genitore sati. Variis sed partibus orbis
collecti, versare dolos, nocuisse parati.
Non impune tamen noxam tentasse licebit :
excutiam quae fraus, causam quo cardine vertant.
Vos ego compedibus manicisque ex ordine vinctos
carceribus redigam : meritis haec praemia sunto.
Uncius inde domum, mentitaque rura revisat :
ac puerum, laribus dictum mansisse paternis,
a sene direptum, subito haec deducat ad ora.
Sin minus est sortem hanc et dicta subire voluptas,
(detestor caput, ac praeclari sceptra tyranni)
percontatores rerum vos principis estis."
Haec ferus intonuit, ferro et compagibus artis
mox claudi curat, fletu miseranda querentes.
Tertia purpureos referens Aurora jugales,
ibat, et eductis nigro sic inquit ab antro :
"Incolumis vitae si cura est anxia vobis,
si meruisse fidem ficto sermone putatis,
est modus, incertum qui errorem detegat ultro.
Deligite e numero propriis consensibus unum,
qui mihi captiva tantisper sorte moretur,
dum fratrem reduces imbelli aetate feratis.
At reliqui curate senem, subducite victus,
nil ea jura veto ; tantum servata manete
promissis turba, ac tenerum huc advertite alumnum :
sic libet ambages investigare retectas."
Talia commemorans, Simeona tuentibus illis
secludit, mandatque specu vinclisque fovendum.
Hinc onera impleri regali messe jubebat,
aeraque supponi cuivis allata vicissim.
Illi maerentes, indigna lege coacti,
suscipiunt, aptantque viis, spondentque regressum,
et socium abreptum lingua trepidante salutant,
constantique rogant animo perferre laborem.
Plurima praeterea tristi sermone serebant,
quo pacto justi jam insurgeret ira Tonantis,
fratris ob interitum, fuerat qui venditus ollis.
Eheu, si nimium si mens non laeva fuisset,
praestiterat, parere tibi sanctissime Ruben,
qui scelus innocua prudens hoc mente vetabas :
nunc eadem ob nostros te invasit poena furores.
Jamque ibant, secum durissima quaeque putantes,
avectique aliquas luces crudelibus arvis.
Forte emptas reserabat opes, et linea texta
unicus, ecce alto (mirum) deprendit in ore,
pro Cerere argentum, saevo quod praebuit ante
rectori, coetumque vocans, rem spargit in omnes.
Attonitis haesere animis ; tum numina Divum
inclamant : "Quid magne paras o sanguinis auctor ?
Quo tibi pulsus amor nostri, sic perdere gratum ?
Parce patri misero, si non fas parcere nobis ;
mitte iras, graviter tactis tua tela reconde.

Jamque domos tetigere suas, formidine dira
obsessi, patrisque simul corda aspra timentes.
Ingressi sic ore sonant. Contagia cedunt
dura famis, frugum nec jam tibi deficit usus.
At majora premunt : sic fors gravis omnia versat.
Nos fera suscepit vinclis et carcere tellus,
optavitque pio insontes mulctare cruore,
vix multa casus tantos evasimus arte.
Praesulis ad limen ventum, data gratia linguae,
continuo causas, patriam, gentemque docemus,
digneturque domum sacram servare rogamus.
Ille furit ; nil certa fides pietasve merentur,
nil obtusa labor miserorum pectora movit.
Exploratores terrae, inquit, adesse videmus ;
at tentanda via est, quae rerum obscura revelet.
Ergo dies vinclis ternos constrinxit iniquis,
post cavea exemptis haec tristia dicta reportat.
Credere si dignum est, vos haec mihi vera professos :
ite novem incolumes, Cananaeae intrate recessus ;
et puerum, cano gratum super omnia patri,
deferte huc comitem : decimus servabitur obses
interea." Tantum effatus Symeona reposcit,
arcendum numero, posita sub lege tenendum.
"Ergo, sancte parens, quoniam sic fata tulerunt,
flecte animum votis, dubiae tu consule causae ;
una salus miseris comite in Benjamine restat.
Nec nos incuses : justa ratione peractum est,
mandaras patrio quodcumque abeuntibus orbe."
Ecce aute adductas dum quisque effundere merces
coeperunt, pretium spectant se promere mixtum.
Mirati trepidare metu, stupor omnibus idem.
Exclamat senior : "Quis proh labor irruit aegro ?
Quaeve inopina mali facies sese horrida tollit ?
Principio soboles, soboles sanctissima Joseph
occubuit, data praeda feris, ea fama vagatur :
certe ita signa ferunt, multoque cruore relictae
per campum exuviae. Simeon discrimine in ipso
jam necis abreptus, forsan quoque perditus est nunc ;
spem vos ambiguo simulantes fertis inanem.
Anne etiam pignus gratum super omnia, de me
poscitis ? Et leto puerum hunc abducere certum est ?
Quid juvat, his patrios sensus involvere curis ?
Ille mihi maneat, maneat mihi parvulus ille :
non ego jam precibus movear succumbere vestris."
Talibus asseruit, lacrimarum flumine vultum
humectans, nihil incoepto dejectus eodem est ;
quamvis ipse Ruben sua pignora cara sit ausus
spondere, et teneros alternae opponere morti,
si comiti offerrent quaedam se adversa petito.
"Dum vero magis atque magis penuria fato
ferveret et messes juncta mercede relatae
deficerent, deni proceres adiere parentem,
et Judas linguam audaci sermone resolvit."
Prompta Canopaeo superest in rege voluntas,
hanc arcere luem, miseris offerre levamen.
"Tuque puerque tuus, capitisque injuria cari
defraudant ope promissa, remorantur euntes,
exteraque impediunt invisere regna salutis.

Unius inde metu vano nos perdimur omnes.
Ille etiam qui vincla suo pro stemmate gestat,
incassum exspectat patrium moriturus amorem.
Cede tamen precibus, graviores exue curas.
Ista tibi in magnos pollet fiducia Divos ?
Tutarine genus nequeunt sacra numina nostrum ?
An quicquam invito duce fas contingere Olympi ?
Ipse tua e dextra teneram nunc aufero prolem,
a me post vindex redivivum dextra requirat.
Si tibi non salvum, vacuumque a labe reducam,
in te perpetuae reus impietatis habebor :
oro, si quis adhuc dignis locus annue votis.
His credens genitor tandem mollescere coepit,
multa gemens injustitiam, factumque superbi
rectoris, qui tanta adigat sufferre pericla.
Ergo supreme sator, rerum si is vertitur ordo,
auspiciis opto felicibus omnia fiant.
Telluris nostrae pretiosas sumite dotes :
per Canis immanes aestus opobalsama ferro
secta, celebratos flavi styracis odores,
et stactae e Myrrha blandum stillante liquorem ;
quaeque a stirpe fluit terebinthi lucida gutta,
et tuto lare condita amygdala, et aerium mel.
Praeterea gemini vobis sit cura peculi :
Reddite suppositum furtim, ne injuria crescat
acrior. Hunc animis etiam mandate tenellum,
quo pereunte animam reddo, quo sospite vivo.
Interea castae spoliatus pignore taedae,
adventum opperiens, superos in vota vocabo :
qui miserum faciles agmen tueantur, et illum
concilient rursus, gravia atque indigna frementem.
Haec inter, nimio collapsum angore ministri,
marmoreo posuere toro, ac fovere jacentem.
Munera tollebant illi, cursumque parabant,
consorti ardentes demum succurrere vincto.
Spe meliore vias ineunt, natumque minorem
insigni studio ducis ad penetralia sistunt.
Quos ubi confertos rediisse exceperat heros,
in sua traduci laetus clam tecta jubebat,
curari fessos, convivia lauta parari.
Hos metus acer agit : nimirum haec illa cupido est,
nos scelere astringi, pro mercibus aere recepto,
atque ita servitio injusto submittere nostros.
Idcirco horum unus ductori exorsus amico est.
Si licet affari, miras vir percipe causas.
Spiciferae nuper venalia munera divae :
aere soluta pari, jussasque avecta sub oras,
nota tibi, et nostro doluisti saepe dolore.
Aera tamen domibus propriis immixta vicissim
attulimus rursusque tibi jam solvere certum est,
ne mala suspicio nos criminis obruat acti.
Praeterea mercede nova ablegavit onustos
jam pater, atque almos suasit subducere fetus.
Ille, quod expostum est habeo, nihil aera reposco :
ne trepidate metu, semel haec accepta fatemur.
Thesaurus si forte viis sese obtulit, alto
insertus genitore venit, quem supplice voto
aeternum colitis, meritosque offertis honores."

Mox Simeon captum turbis adjungit avitis,
liberat incolume, infundens nova gaudia cunctis.
Expediunt igitur regali praemia dextrae ;
haerentesque genu ingressi, sunt vocibus orsi.
En servata fides animo promissa fideli,
curata a miseris tua sunt haud mollia jussa :
successit puer hic, numeri pars ultima nostri,
vix precibus multaque fide a genitore revulsus,
qui multum timidus turbato corde salutat,
fortunamque omni laetam de parte precatur.
Haec etiam summi mittit tibi signa favoris,
pignora, praedictas patriae referentia sedes.
Sustulit hic oculos, agnovitque ordine in ipsa
Benjamin, vultu pulchro, nitidumque juventa.
Et quia sospitem adhuc persensit degere patrem,
victus ait puero : "Fortissimus ille tuorum
majorum tutor, simili te more reservet."
Mox, quia cura gravis penetrat, carique dolores
cor trepidum instigant, variantque externa ; suorum
ex facie se aufert, altumque ac crebra gemiscens,
robore collecto rursum ignorantibus infert.
Tum vero insigni domus ornatissima luxu
instruitur, largique parant hilares congressus.
Illis cura toros formare tapetibus aureis,
praestantemque penum festivo ponere ritu.
Hi manibus fontes, alii mantilia praebent :
nulla quies operum innumeris per tecta ministris.
Ordine quemque suo non notus collocat hospes,
ut pater aetatis seriem servare solebat.
Vixit ubi curis expers praesente Josepho.
Mox epulas onerant mensae, solidoque renident
auro crateres, Bacchi caelestia dona
spirantes gaudetque animum Cananaea virum vis.
Nec minus et jussi indigenae Mareotidis adsunt,
disjunctique toris adversa fronte sedebant.
(Namque his Judaea vesci cum gente negatum)
regius accitos compellat pluribus hospes,
triste supercilium ponens, obstaculaque altae
laetitiae ; ante omnes vero Benjamina carum
corde fovet, geminisque epulas huic partibus auget.
Post, ubi victa cibi fugit jucunda voluptas,
atque alacres blande accendunt data pocula motus :
majores statuunt pateras, et largius hausta
incumbunt tempusque refecto pectore ducunt,
pressa sopor riguus donec jam lumina claudit.
At non ipse Joseph ; sed enim nova pectore versat
consilia, ut fratrum tacite expiscetur amorem,
quo foveant patris summum Benjamina pignus,
ergo domus amplae praefecto haec seria credit.
"Vade age, et oppressis somno nunc ingere moles,
quas pro servanda concordes gente reportent,
rursus et argenti cuivis absconde metalla,
quae tulit. Hunc etiam gemmis auroque valentem
cratera, exigui per tenuia pondera subde.
Mane recens orto, laeti discedere tendunt,
securique metus, pulchra se avertere terra,
nativum captare solumque, et gaudia parta.
Composito egressos turmae insectantur equestres,

instructi ferro, pugnasque per arma cientes,
quadrupedes per agros sonitu trepidante fatigant.
State, genus fallax, Jacobi scelerata propago,
state, viri audaces, nobis jam reddite causas,
quos vester justis demum furor induit armis ?
Quod scelus hoc genti, quaeve hunc tam barbara morem
permittit patria, hospitium violare parastis ?
Immemores benefacta via pensatis acerba.
Nonne sat infidos digno tractabat honore ?
Perspectis ultro dominus jungebat amicis,
cui bilem malefacta movent, uruntque ferentem.
Namque scyphum priscae monimentum aetatis, et artis,
quo solus fruitur per opus spumantis Iacchi,
clam furto aggressi, spolium rapuistis iniquum.
Nec venit in mentem, qua rerum forma supersit,
quis status, aut qualem vestra haec perjuria tangant.
Illud amicitiae multum venerabile nomen
polluitis ? Divum obliti, poenaeque minacis.
Hi vero objectum facinus (mens libera cuique est)
mirantur, fortesque incoepta ferocia rident ;
en prius argenti merces abstrusa, reducta est,
nec verbo ambiguos pridem delusimus ullo :
omnia vera equidem, certissima quaeque reperta,
nunc juvat immunes noxa incusare maligna ?
Quare agite o totos miserorum exquirite fasces,
et turpe inter nos studium tentate dolorum.
Si quis erit, lucro infando qui pergat onustus,
jure piet merito culpas : nos insuper omnes
unius ob furias, sortem subeamus eamdem."
Dicta placent : furti in processu quaeritur auctor.
Nil sibi quisque timet. Facto jamque omnis atroci
liber erat, sceleris quia nusquam inventa cupido.
Ipse subest turbae minimus : quo evanuit ardens
suspicio, exitii prorsus restincta facultas.
Scrutantur manibus, volvuntque probantque, scientes.
Tunc subito interius bene nota relucet imago,
praedaque se tacitam manifesto lumine prodit.
Suppositum celeres magno exhibuere tumultu,
ingentes tollunt animos, et gaudia fingunt.
Ex oculis rapiunt pavidum, prensantque feroces :
judicis arbitrio mens saevi integra dicatur,
cor gemit, et longo singultu se ilia tendunt,
crebra injustitiam, ac patrios reminiscitur agros.
"Eheu majorum tutor supreme meorum,
pectora qui sentis hominum, qui interna recludis,
ne procul a justis caelesti avertere vultu.
Quod facinus, quaeve impietas, quae indigna voluntas
his mersere malis ? Ah, infeliciter ausus
care pater (sed nec mihi jam pater) addere natis
hanc animam, interitus quam prima aetate manebat."
Unanimes alii lacrimantem pone sequuntur,
attoniti factis animos, caecique stupore,
nec fratrem media jam in morte relinquere certum est.
Ast oculos frendens heros detorquet in hostes :
"Hasce igitur meruit facilis clementia grates ?
Sic juvat adversari animum nil tale timentem ?
Insitane haec probitas, haec est fallacia vobis ?
Sed tamen haud omnes una inculpare necesse ;

forsitan expertes reliqui, candore probati
sincero, multumque pater virtutis amans est :
degener iste sua stirpem impietate profanat.
Vos ergo Cererem laribus deferte paternis,
liber quisque mihi. Facti iste repertor atrocis,
sistat iter, meritis crudelia praemia captet,
qui tanto magis insidiis, atque arte nocendi
praepollet, quanto minor est et corpore et armis.
An latet augurii quam prompta scientia nobis ?
Fallere quam grave sit longe ventura videntem ?
Verum age contingat sollertem nosse vigorem."
Ambigui rerum, prostrato pectore terram
suppliciter petiere, genu minitantis adhaerent ;
tum lingua melior sic est ingressus Iudas :
"Sit licet unius fraus haec, facinusque protervum,
nil minus in reliquos poenae tamen ingruit horror.
Unus amor, commune bonum, communia damna :
perfidia ultrici dextrae jam subicit omnes.
Vita tua est, quae nostra fuit ; tibi perdere justum :
in bonitate tua spes figitur ; exue telum
vindictae : fera magnanimis raro imperat ira.
Ut reor, ipse Deus tanto nos fulmine turbat,
quo pateat tanti magis indulgentia regis.
Non equidem propriae me affligit cura salutis,
sed pater, et teneri foeda imprudentia fratris.
Talia cognatis opprobria fingite vestris,
non erit hic ardor caeco expediisse labore ?
Horridaque exitio lenire incommoda pressis ?
Forsitan et tibi adhuc genitor maturior annis,
cui bene vis fieri, cujus tibi maximus ardor,
debita cui pietas a te, ac reverentia praesto est.
Ah, quali planctu, quo luctu urgebitur ille,
rumor ubi pueri de perditione sonabit ?
Suppliciique hujus causam memorabit iniquam ?
Mitescas, miserere senis, miserere juventae :
si moriturus hic est, cuncti moriamur oportet,
aut turpi exilio patriis depellimur oris.
Sin solum punire voles, nec demere luci,
servitii aeterni dura ratione domandum,
me cape ; praevalidis namque aptior usibus essem :
ipse reus statuar, sorti sum promptus utrique."
Pro se quisque viri spondebant ista gementes,
tradebantque animas uno pro corpore morti.
Noxius ille genis lacrimarum flumina volvit :
orat, et excelsi pedibus fert oscula regis.
Nec tamen, insidiis expers, mensque inscia tanti
flagitii, ignotum fuit ausa refellere crimen,
tutatur pietas pavidum, et bene conscia virtus.
Inde heros servans diuturnum pectore, vulnus,
imaque nativo labefactus viscera amore,
fletu prodit opus tectum cunctisque repente
improviso inquit : "Subito his absistere mando
sedibus, ire foras, antiquo quisquis ab Isac,
et genitore meo non est prognatus Iacob."
Fit via cum strepitu, funduntur limine ab alto
lecta ministrorum manus et quicumque videndi
stipabant studio ; mirantur coepta loquentis,
admittique novis tacite sermonibus ardent.

"Surgite dilecti de terra surgite fratres,
ille ait, et vestri me agnoscite sanguinis unum :
ille ego sum vere, quem jam occubuisse putastis ;
frater ego, externum mercede abductus in orbem ;
ipse ego sum tener ille Ioseph, redivivus Ioseph,
perdere consilio quem vos statuistis inani.
En oculi vestri, ac cari Benjaminis ora,
praesentem spectant vos compellare Iosephum.
Nec trepido locus hic ob facta indigna pavori
parcite quisque metu, mecum gaudete beati,
sic libitum superis, huic me transmittere honori,
a peste ut terram hanc patria cum gente tuerer.
Quis tantus stupor est ? Mentes attollite laeti :
magne Ruben, Juda, Simeon, atque inclite Levi,
ultores ambo direptae ad stupra sororis,
dum cadit occiso peccans cum patre Sichemus ;
tuque Isachar, Zabulon, Liae jam tota propago.
Vosque utero Balae geniti, Dan, Neptalis alter.
Vosque sati e Zelpha, felix Gad, strenueque Aser ;
tuque una mecum Benjamin edite ab alvo,
materni quondam nomen sortite doloris.
Grata mihi unanimis per tristia damna voluntas,
proque incusato durans concordia fratre.
Ex illo, patet hinc, meliores tempore factos,
quo sors me invalidum sejunxit finibus illis.
Ut vos accipio, tot jam labentibus annis ?
Nunc etiam ipsa fames vos propter grata videtur,
quae domibus certis pressos his appulit arvis.
Non decet exsortes horum vos esse bonorum :
efficiam integrum liceat sentire favorem.
Praemia munificae super haec largissima dextrae,
me Deus Assenetha dotavit conjuge nostra,
quae gemina laetum fecit me prole parentem.
Primus ab electa prodit mihi matre Manasse,
alter et Ephraim, successum nomine signat,
aucturus stirpem felici semine avitam."
Talia vociferans, amplectitur ordine quemque
illi alternantes turpabant imbribus ora :
nunc de laetitia subito mirantur oborta,
nunc de consilio perverso multa volutant,
orantes pacem, mens nunc placata benigni
illis supplicium est, carpens dolor ossibus haeret.
O domine, o frater, frater sanctissime Joseph,
salve perpetuum, nobis, dux inclite, salve.
Plurima praeterea insigni clamore ciebant :
audiit alta domus, stupuere Aegyptia turba
et gemitum, et voces patrio sermone loquentum.

## LIBER IV.

P1_04
Fama per insignes velox diffunditur aedes,
e patriis fratres magni adventasse Josephi
liminibus, rerumque status ac certa tulisse
singula. Pergratus rumor fuit omnibus iste :
sceptrigero inprimis regi, qui provocat ultro
divinum vatem, solvitque his vocibus ora.

"Quae tantae tenuere morae, qui denique casus ?
Ut famam paterere prius mihi laeta referre
nuntia, quam nostris narratum haec auribus ires ;
advectos prima consanguinitate propinquos,
his subiisse locis. An sit res gratior ulla,
quam spectare tuos, tecum una ab origine cretos ?
Vade igitur, jussuque viris sic praecipe nostro.
Jumentis laeti segetes onerate petitas,
praecipitique lares gressu tentate repostos :
quae sint, quae fuerint mea fata expendite nostris.
Mox consanguineis collectis omnibus, una
grandaevum vigili genitorem huc sistite cura,
has sedes petite, ostendunt hic ipsa quietem
numina : telluris nostrae communia vobis
munera sint, pariter tantis considite regnis.
Quinque etenim superant duris sub legibus anni,
quos fera paupertas pedibus decurret iniquis,
involvetque genus tenebrosa in Tartara vivum :
hic stirps Isacidae felicius exigat aevum."
Paruit, et jussis simili ratione relatis,
veloces currus, queis segnia corpora matrum,
sive cohors prolis tenerae subducta venirent
addidit, atque epulas longarum fida viarum
auxilia, hinc asinas cerealia dona ferentes,
ac varias telluris opes, ignota bonorum
plurima. Tum numero binas (decora alta parentum)
arte laboratas fert dena in corpora vestes,
at minimo, argenti magnum dat habere talentum.
Tum quinas auri atque ostri subtegmine pulchro
injungit laenas, totidem vesisque metallique
eligit, immenso exsultans ardore parenti.
His rite exactis : "Nihil, inquit, certa refellit
consilia : ite vias notas Divo auspice Abrami,
sit bona longinquum per iter mens omnibus, omnes
unanimi duros superetis foedere passus,
atque Canopaei peragatis dicta tyranni."
Complexi inter se, largo mox lumina fletu
humectant, firmantque fidem ; post aequore aperto
quadrupedes agitant, tractim superata relinquunt
a tergo juga, concordi donaria lege
servantes. Jam jamque magis via longa secatur.
Mitigat assiduus rerum mala taedia sermo
jamque domum capiunt animis, vocesque benigni
nunc retro fratris memorant, jam gaudia volvunt
exarsura suis, reditu et rumore secundo.
Nunc simul, ore seni quo tandem immania facta,
vimque ferant veterem, justa ne bile tumescat,
ingratosve jocos, commentaque inania ducat,
hos incredibiles casus. Juvat ire molestas
commotaque vias iterum cum gente reverti.
Jamque subactorum post intervalla dierum,
visa aperire procul sese optatissima tellus,
sed miseranda nimis contactu pestis egenae.
Ingressi celerant laribus vestigia fidis,
qua primum caeli jucundum hausere vigorem.
Invenere virum, patrio de more dolentem :
dum gemit, exspectatque avido sua pignora vultu.
Cum clamore ruunt illi, dextroque tumultu,

angorem senio indignum, curasque repellunt.
"Sis bonus o felixque tuis : en laeta juventus
natorum, ante oculos longis se a finibus offert,
dives opum, incolumis, successibus aucta superbis.
En tibi praesentem justo Benjamina fato
detentumque prius vinclis, nosque ordine cunctos,
qui monitu ignotas fatali venimus oras.
Praeterea tua progenies, tua maxima cura,
quem velut immiti jamdudum funere mersum
prosequeris luctu falso, venerandus Ioseph
vivit, et arbitrio rerum sceptrisque potitus,
post varios casus magna inter gaudia vivit.
His pater attonitus visis, ac voce suorum,
surrexit trepidans menti dum reddita lux est,
ac prolem teneram fusis utrimque lacertis
fovit ; ab hac alacri spectans tota agmina vultu,
institit, o dextro nimium gens numine ducta,
incolumesne iterum terras accestis avitas ?
Et mea delicias tantas statuistis ad ora ?
Gratulor, ac supero regi sanctissima reddo
votaque, gratesque, multo cum laudis honore :
qui sibi confisos nulla umquam parte reliquit,
sed praesens coetum gaudet servare piorum,
ac jubet invictae celebrari nomina dextrae.
Hujus ope ulterius vitam proferre licebit,
dum frumenta manus dedit huc adducere vestras :
insuper et salvos per tanta pericula misit.
Sed quae pectoribus subit haec fiducia vestris ?
Laetitia curas mulcere audetis inani ?
Speque nova incertos sensus involvere rursus ?
Dicere num fas est exstinctum vivere natum,
vivere ? Et excelsum magnas regnare per urbes ?
Hos ne ne illudat juvenum fallacia canos.
Occidit ille semel, semel oppetiisse sinamus.
Nec mihi tam certus quisquam persuadeat auctor,
hunc superare solo, vesci vitalibus auris.
Jampridem iste dolor concusso corde resedit
altius, incipiat vereor crudescere dictis ;
proinde alia his missis narrate audita viarum."
Tum Ruben querulo jussus sic ore profatur :
"Heu fragilis natura hominum, quo pectora motu
saepe agitat, stimuloque malis invitat iniquo.
Quae peccata hominum non sunt exercita genti ?
Inque Deum, nostrumque genus scelera omnia fervent.
Vince animum jam, magne parens, irasque resolve ;
nunc equidem causas, ignosce, fatebimur omnes,
ne dubita, nam vera loquar, bene cognita pandam :
dulce tuum testor caput, ac mare, sidera juro.
Vidimus, o genitor, natum, quem falsa ferarum
suspicio praedam persuasit ; vidimus omnes,
contigimusque manum fraternam, et mutua dicta
contulimus. Regit ille viros, regit ardua fidis
moenia consiliis : ipse est, qui corde sagaci
novit humo diram hanc avertere tempestatem.
Hic aequo messem collectam porrigit aere,
horrea plena aperit, periturosque excipit ultro.
Ille idem Simeona prius sub carcere clausum
dissimulans tenuit, donec puer ipse veniret,

undecimum numero, quem cum seniore parente
audierat mansisse domi. Nunc ore Iosephum
se referens, signis nostrum manifestat apertis.
Felix ante alios, nec enim caelestibus aura
invisus frueris ; coepit fortuna regressum
jam tua : mirandos eventus accipe demum,
mitior, injustos juvenum nunc disce furores.
Tempus erat quo pulcher adhuc tua cura Iosephus,
virtute aetheria cumulabat gaudia praesens.
Nos alii tum forte greges per pinguia culta
pascentes, clam te, Dothaimae ad pabula laeta
compulimus, luces aliquot per rura morati.
Interea puer iste procul, tua jussa secutus,
accessit, turbae infensae laevo omine visus.
Conspecto hoc mixtum subito glomerantur in orbem :
ira subit, Furiis mens infecta aestuat intus.
Scilicet iste patri tantum dilectus iniquo,
desidiosus, iners, sectetur blanda tenellus
otia ? Nos toties infidus ob effera prodat
incepta ? Et super haec crudelia somniet in nos ?
Se generi regem portendi, in sceptra vocari.
Non ita : sed pereat manibus data praeda propinquis.
Sat patri, aetatique datum, quando hactenus acres
insultus tulimus. Frater licet, attamen hostis
advenit, assueta qui incautos obruat arte.
Intereat, vano ne princeps more gubernet."
Fit scelus, invadunt una, tua dicta monentem.
Ut cum turba furens obscura nocte luporum,
errantem a stabulis per lucos conspicit agnam.
Pro se quisque premunt, telluri effunditur illa,
balatum ingeminans, forti pastore canumque
amisso auxilio ; lavit ater saucia sanguis
vellera. Sic trepidanti instant, rapiuntque gementem.
At mihi solvuntur lento mox frigore membra ;
tum magis, ut propius capiti crudele periclum
ingruit, exitii majorque apparet imago.
"Quis furor est, quaeve ista repens insania surgit ?
Flos veterum, virtusque virum, delecta juventus.
Quid puer imbellis potuit committere tantum ?
Quid frater potuit, vitae quo perdidit usum ?
Parcite proh scelerare manus, inhibete furorem.
Si male quid meruit, miserescite quaeso parentis,
quem vestrum scelus hoc ad regna silentia trudet.
Una anima servate duas : nihil iste nec ausus,
nec valuit : rudis ille doli culpaeque nefandae.
Triste equidem externos morti stravisse piaclum ;
at vos insontem, vestri quin sanguinis unum,
quem medio in leto decuit servare, malisque
eruere, ipso etiam proprio discrimine vitae.
Quas non caelituum poenas hominumque movetis ?
Excideruntne animo cari documenta parentis ?
Fraterna vobis quae olim de caede ferebat.
Primus uti (heu dirum) deceptae filius Evae
sustulerit lucis consortem e munere Abelum.
Tum pater aeternus justas exarsit in iras,
horrendoque odio profugum noto orbe repellit,
ostentans saevos flammati pectoris aestus.
Omniparens tellus habitu mutata priore,

infremuit, solitos fructus damnata negavit.
Cedite : converso delicta improvida corde
donantes ; tamen id peccanti offertur amico,
et Deus ipse hominum culpis ignoscere novit,
indulgens veniam, recipitque a tramite recti
diversos. Si quid praecelsi huic restat honoris,
sive boni, nobis pariter restare putandum est,
unius generat quos idem sanguinis auctor.
Consilia in melius memet monitore referte.
Mitior esse potest (quamquam o sed) forma nocendi.
Non procul hinc, puteus saxosae in viscera matris
tendit, aquae vacuus, certoque immunis ab usu ;
demissum infelix per funem lapsus, ad ima
subsidat, solusque illic moriatur oportet,
quando insueta fames, curaeque sitisque fatigant.
Sic sine fraterno procumbet vulnere morti.
Assensere omnes, compressus et impetus ingens
paulatim. Exanimem rapiunt, saevique minantur.
Hinc picturatam chlamydem, haud vulgare decorum
detraxere humeris, ceu cum venator ab alto
fert praedam luco, dapibus mox arte futuris
accingit, calidoque a tergore corpora nudat.
Demisere specu strictis per vincula palmis,
condentes imo in fundo, caligine densa.
Cessi, et pasturae viridis juga feta petivi,
turbatus fremitu gentis, lacrimisque precantis,
olli gramineis, puero post terga relicto,
consedere toris : epulas vocat hora paratas.
Implentur victu, solidas in viscera vires
suscipiunt, iterumque cavata rupe sepultum
ad nova jura adigunt, spreto monitore fideli.
Ignarum me terror habet, qua denique cura
depositus nigris scrobibus, jam liber ad auras
evadat, tuto legatus limina tangat ;
speluncam, haec reputans, parvo post tempore veni.
Ecce autem abstrusum latebris clamore vocabam :
spes fuit, excessere omnes, hunc reddere luci.
Huc ades, una salus restat tibi dulcis Ioseph ;
festinare opus est, ne vis inimica morantes
ausis excutiat : nunc nunc molle arripe tempus.
Horresco ambiguus : neque enim responsa dabantur.
Frater ubi es, repeto, voces agnosce rogantis ;
te Ruben peto, cunctorum justissimus in te.
Solve metus, rabiem non hic tonat effera pubes,
solus ego interitu redimam, patrique remittam.
Conticuit, neque signa dedit super ulla latentis.
Occupat ossa tremor, coma vertice inhorruit alto.
Non latuere doli, suspectaeque agminis irae :
mors erat ante oculos, quam vix evaserat ante.
Ausus tunc etiam voces jactare per agros,
implevi clamore vias ; si forte cruentam
vim nondum intulerint, incoepto voce moverem.
Nec requievi etenim, donec per gramina fessus
collectum inveni numerum : sic flebilis orsus.
Quo perversa cohors scelus exsecrabile mentes
impulit : effrenus quo caecos error adegit ?
Non licuit tantis dubium me adjungere coeptis ;
an sine me licuit vetitum fudisse cruorem ?

Hoc illud, germane, fuit, me fraude petebant,
hoc lacus iste mihi, speluncaque tuta parabat.
Cur eadem non hora tulit me, nec dolor idem :
decessi, sic te posito ut crudelis abessem ?
Exstinxi reus innocuum te, meque, patremque.
Heu, quae semianimis periit per lustra relictus ?
Ducite suspensum, corpusque exsangue sepulchro
reddite. Si quis adhuc anima super halitus erret,
extremum ore legam, diffractaque lumina condam.
O pater, o tanto quondam domus inclita alumno.
Instantem ulterius luctu, plebs no tulit ardens :
"Parcius ista viris, ait, objicienda memento,
ploratusque inhibe gravia atque infecta dolentes.
Egregius vates non est, ut rere, peremptus,
sed superat, superetque aliis per longa precamur
saecula, nobiscum modo ne commercia jungat.
Transmisere vias durum gens Ismaelitae,
e biferis Arabum campis congesta reportant
munera : divinos Panchaei thuris honores,
et myrrhae lacrimam sese effundentis odoram,
gazas insuetas, longinquae germina terrae :
his comes est stirpis nostrae rex, certus aruspex,
arbitrio Judae promisso venditus auro.
Illic augurium doceat, regnumque capessat.
Haec illi : docuit quae nunc eadem exitus ingens.
Tum nos correptum populato ex hoste tropaeum,
pallam intertextam vario splendore colorum,
vulneribus scissam, foedantes sanguine turpi
caprigeni pecoris, signum tibi misimus horrendum.
Ut, cui frendescens infirmam bellua prolem
merserit ingluvie ventris lacerique per arva
liquerit infecto tabo velamina sparsa.
Credita mox tibi res, semper graviora timenti,
et vix nunc etiam lacrimis avertere falsis.
Ferali interea defletus more revixit,
ac septem gemini sub fluminis ostia tractus,
nunc hos nunc illos aditus conscendit honorum,
donec ad imperii tanti fastigia ventum.
Teque tuosque graves planctus in luce fefellit,
orbe sub incerto latuit, nunc editus orbi.
Credo equidem, nec vana fides, opera illa Dei sunt.
En tibi opes, quas ferre jubet signacula rerum.
Te vocat advenias ; adventum praecipit ipse
rex, cum quo consors communia sceptra gubernat.
Sanguine cognato parens uberrima regna
invades, raptum vitae solamen habebis.
Ignotos illic dabitur spectare nepotes,
legitimam gnati taedam felicis : ibi omne
otia traduces securus parta per aevum.
Haec sunt quae deceat nostra te voce moneri.
Tum demum exsurgens, stellantis numina caeli
affatur senior : tum credulus excipit ore :
"Haec equidem sunt illa patris promissa benigni,
hoc caeleste decus rerum ; contraria mecum
his ego jampridem solabar fata rependens.
Nam postquam Syria gressus tellure ferebam,
magnus ubi Euphrates, spumosoque agmine Tigris
amplexi circum, mediae dant momina terrae,

germanum fugiens, veteris sub moenia Luzae
regressus, summi Ducis edita corde notavi.
Isacide fortis, genus alto a sanguine, cresce,
progeniem vastum sanctam diffunde per orbem ;
hinc ego ductores magnos, regumque triumphos
polliceor ; gens laeta tuo de semine surget,
et celebres populi, tellus his patria tecum
pulchra nimis, cedet, longos habitanda per annos,
imperium sine fine dabo, nec tempora ponam
natorum natis, quive exorientur ab illis.
Praeterea spectare Dei praesentia quando
ora datum, et fieri divino robore fortem,
posthac Israel dicaris nomine verso."
Nunc equidem tantis respondent tempora dictis.
Apparet Deus ille, Dei inviolata potestas.
Jam mora nulla vetat, ducunt qua fata feramur.
Jam neque fessus ego vobis comes ire recuso,
ire juvat, ne quis juvenum mihi segnior esto."
Talia perstabat memorans, domuique vocatae
dat mandata sequi, longisque accingier oris.
Conveniunt, quibus acer amor lustrare repostam
tellurem, et factum aeterni spectare tonantis ;
quisque animis opibusque vigens, et corpore firmo,
delecti heroes, quales ad Phasidos amnem
Graecia Phryxaeo quondam pro munere misit.
Venerat exspectata dies, accurrere cuncti,
molirique vias, stipato tendere coetu.
Procedit legio fratrum ; mox laetus in altis
it genitor bigis, laudatae stirpis origo,
postmodo quae tribubus sese est scissura duabus.
Terra procul pingui colitur Geraritica campo,
magnus ubi Abimalech susceptas rexit habenas,
hospitis erepta de conjuge notus Abrahae.
Hic Berseba jacet, locus icto a foedere dictus,
terminus Aegypti, Judaeae terminus orae.
Quo simul ac ventum, mactatur victima ad aras,
votaque solvuntur pictas intrantia sedes.
Nox ruit interea, curantur corpora somno,
omnibus una quies, rebus color omnibus idem.
Ecce polo numen dilapsum ante ora parentis,
astitit, et visum tali ratione monere est.
"En ego majorum tutor fortissimus adsum,
quem tibi quemque tuis praesentem accurrere sentis,
cujus ab arbitrio fluviis inclusa duobus
regna sub Assyriae veniens, hymeneia felix
gaudia coepisti, rursusque innoxius illinc
hostibus evadens, regnum natale subisti,
divitiis auctus variis et prole virenti.
Nunc etiam genitum superantem nomine nostro,
hortor adire : viis adero dux, et bonus auctor.
Namque tibi reduces socios, terramque beatam,
fatorum immotis promissam legibus ante
nuntio, et in tutum posthac iri omnia versum.
Ipse piis manibus morientes luminis orbes
claudet, et ossa solo placito tibi condet, Ioseph."
Sic ait. Inde vigens fertur velut ignis in altum.
Surgit ovans heros, dictis hortatur amicis
conjuratum agmen properent, quia fata suburgent.

Instant ardentes : alii subjungere currus,
atque rotis levibus seniorem aptare ferendum,
pars turbam invalidam natorum ducere plaustris,
solari matres fessas, expromere victus,
et totam curare domum, tolerare labores.
Pars etiam cincti veniunt horrentibus armis,
tutari gentem sanctam et certare parati.
Fervet opus, ceduntque viae, nova rura propinquant.
Sic Thracum volucres densae sublimia tranant,
egressae campis Scythiae ad prima ostia Nili,
cum bellatori Pygmaeo proelia miscent.
His clari ducis officium sors obtulit, illis
pone sequi, et seriem justo servare tenore ;
explorant aliae ventos et nubila caeli,
aut cum Luna nigrae cogit decedere nocti,
inclusos curvo gestantes ungue lapillos
invigilant, reliqua somnum captante caterva.
Postquam telluris licuit fecunda tueri
regna, nec inter se longis jam passibus ambo,
natus et ipse parens aberant : ex ordine toto,
missus abit Judas, haec regi nuntia ferre.
At pius agnoscens heros, exsultat : amicis
obvius ire parat, qua se pulcherrima Gose
herbarum et Cereris largo ubere vestiit ante.
"Quis mihi perculsae jam mutua vulnera mentis
expediat ? Quo tum cordis pars utraque motu
arserit, ut dextram datur affectare potestas."
Ter patriae cecidere manus, ter faucibus imis
vocis iter liquidae obstructum, cum brachia collo
injicere, et natum jam compellare pararet.
Ut stupor excessit gelidus, simul incipit ipse.
"Verane te facies offers mihi nate ? Nec aegrum
somnia deludunt animum ; tune illa fidelis
progenies, sanguis meus, et solamen, amorque ?
Quem propter tantos potui perferre dolores ?
Gaudia concilias durae qui mira senectae ?
Nunc liceat fossae telluris operta subire,
in manibusque animam vivi deponere nati.
Ergo igitur sic fata ferunt contingere Joseph ?
Quem mihi viginti tres actis orbibus annos
eripuit crudele malum, quem nulla ferebat
terra, nec auditus fuerat, neque visus ab ullo.
Hora tamen praesens junxit, laetabilis hora :
rettulit haec vivum, induxit quem fama peremptum.
Jugebam planctu querulo noctesque diesque :
omnis in hoc uno stabat mihi cura relicto.
Canitiem immundo foedabam pulvere turpans :
scissa lacerna humeris talos defluxit ad imos.
Heu, quoties caeli munus vitale perosus,
optabamque mori, et moriendo absistere luctu ?
Diis aliter visum. Tibi, laus et gloria caeli,
magne sator, dextro qui digeris omnia nutu.
Hoc quodcumque, tuum est : fuit haec tibi certa voluntas ;
sic oculis libuit lacrimas abstergere nostris.
Ergo age progenies felix, decus omne tuorum,
fidam agnosce manum, qui me comitantur ovantes,
fertilibusque jugis vestigia jungere gaudent.
Esse libet tecum, extentasque evolvere luces,

dum calidos urgens versabit Spiritus artus."
Ille autem patriis lacrimans complexibus haeret,
tranquillos simulans animos : quatit intus anhelum
vis, nec opinato trepidant corda excita motu.
"Imo ait, haec fieri magno cum numine constat :
subveniens regit ista Deus, regat omnia deinceps,
et nostros hujus faciat meminisse minores.
Interea gremio magnae requiescite matris,
dum nova regali solio spectacula pandam,
atque opportunas liceat praesumere sedes,
quo vocet unanimes fortuna, ubi sistere detur."
Tum vero electis aliquot stipantibus ibat,
commemorare duci, quae sit spes addita turbae.
"Magne Soli rector, cui splendida gloria caelo
terminat, imperium latos se effundit in orbes,
credere si fas est, superos statuisse quod actum,
meque tuae quondam junctum divinitus aulae ;
si fuit ullus amor, si cura fidelis alumni,
respice quid veniam, pia quae mihi munera poscam.
Ipse parens, fratrumque genus, pubesque meorum,
auxilio confisa tuo, monitumque secuti,
successere viis, extremo rure morantes.
Proinde fave coepto, fluxis bonus annue rebus,
hospitium tribuant fessis tua jura benignum,
fatali nostros liceat considere terrae.
Quae potuere ferunt : pars cetera temporis hujus
mole gravi dempta est, pascunt armenta gregesque,
assueti arvorum cultu, pecudumque labori.
Olli sedatus Rex institit : inclite rerum
arbiter, omne tibi cessit, tuus inde quod optas
explorare labor, nihil omni parte negatum.
Omnia tuta vides, qua visum est elige tractum,
hic locus urbis erit : maneant ea jura nepotes.
Quae pecori opportuna seges, quae commoda genti,
hanc habeant." Simul ore senem sub limina duci
mandat, et eductam longaevo flore senectam
miratus, blande externos gratatur amicos,
declarans animos faciles, mentemque serenam.
His actis, grates agere, ac benedicere Regi,
numine grandaevus fervens propiore viator.
Urbs antiqua jacet, prisci tenuere coloni,
nomine suppresso dicentes Arsenoiten :
posthuma mutatam Ramessen saecla vocarunt.
Ut segetum feta est, sic fertilis illa juvencis,
aequa viris, pecorique, et cultu suavis amoeno.
Hanc collecta pii manus Israelis habebat,
jussu almi Regis : requies ea certa laborum,
hic decus, hic nomen partum est, hic sancta voluptas.
Illi inter sese concordi foedere agentes,
vota Deo statuunt, et puro corde precantur :
laetitiae indulgent castae, pecorique fovendo.
Praeterea auctorem gentis, quia grandior aevo,
observant, justique colunt. Per cerea tecta
Hyblaeae ut volucres, operum studiosa juventus,
ductorem electum cunctae venerantur ovantes.
Aut velut ingressi veris praenuntius ales,
exemplum pietatis agit, fessumque parentem,
cui solidae vires abiere, attollere gestit,

subjiciens se oneri, invalidumque ad pabula laeta
fert humeris, rursusque lares deducit in altos.
Nulla mali facies se immiscuit amplius ollis,
nec dolor, aut rabido frendens Discordia vultu
surgit, et insidias molitur : tuta repente
adversi via. Jam Zephyri spiramine blando
carbasa plena volant, statio bene fida propinquat.
At non interea rabiem suppressit Egestas,
sed furit, et tractim vires acquirit eundo.
Jamque solo ingreditur, terras amplexa jacentes,
altius invadit populos, cumulatque dolorem.
Hanc circum Labor, atque Doli, furaxque Cupido,
et curae et gemitus, matris comitatus aguntur.
Solus erat, praesens qui damna levaret Ioseph.
Adveniunt quos pestis agit, quibus instat Erinnys :
expenduntur opes, fertur genus omne supremi
thesauri : contra hic miseris alimenta ministrat.
Quin, ubi jam spatium producens aera negaret,
ipsos substituunt agros, et jugera terrae.
Unde prius tantos cultor congessit acervos,
ampla sinu vacuo quos vix capere horrea possent,
jam pro parte sati, exiguo pro munere messis
solvuntur. Neque enim levia aut ludicra moventur,
verum pro cara certant mercede salutis.
Providus ille capit pretium, lectasque recondit
divitias, ipsos donec dicione redegit
finitimos, pecudumque genus, terrasque virosque.
Et nunc finis erat : jam debacchata referri
tempestas retro, fecunda Nilus aquai
vi ruere, ac campis priscum donare vigorem.
Sic praesul dictis maerentia pectora mulcet.
O gravia, et duras perpessi numinis iras,
nunc fortes animis, cursus sperate secundos :
nunc tentanda via est, laeti quae spondeat auras.
Vos Pelusiaci sceptri inviolanda potestas
subjecit, vestrumque tenet tam quicquid ubique est ;
durate : haec olim multum memorata juvabunt.
En agros, et quas Cereali mergite terras
obsedi, jam restitui mea cura vocatis :
credite ut ante solo spes anni, vomere glaebas
scindite, fructus erit : ponet Deus his modo finem.
Invigilate viri : dona hic capite alma futurae
sementis, cultu haud segnes instate frequenti.
Ast ubi jam impensum solvent sata laeta laborem :
magnanimo Regi, qui vos a labe reduxit,
tradetis quintam collecto ex fenore partem.
Desierat : cuncti grates uno ore ferebant,
spondebantque fidem, sacrato foedere voti,
quod nec nostra quidem rumpunt jam saecula genti.
Interea senior supremo proximus aevo,
bis septem ternosque alacris produxerat annos,
cum nato ; et fati lucem procedere sensit.
Advocat inde suos, mandatque novissima verba.
"Satque superque datum vitae, nunc hora propinquat,
quae me sublatum speratis inserat oris.
Vivite felices, Abrahae stirps sancta sepulti :
dirigat aeternum trino vos numine numen,
et genti maneant promissa immota futurae.

529 Tu tamen, o requies, mea spes, mea nate voluptas,
530 gratia si qua tuo nostri sub corde recumbit,
531 ossa solo patrio refer, his meque eripe terris :
532 conservent cineres majorum busta piorum.
533 Qua duplicem Hethaeus speluncam praebuit Ephron,
534 qua sacra Tharidae requiescunt membra, Saraeque
535 fecundae, insolita gravioris lege senectae,
536 qua jacet Isacus genitor cum conjuge Sira,
537 et Lia, servitio decepto juncta marito.
538 Dixit, et ossa solum servat. Jacet inclita famae
539 gloria : defletus cum gente quiescit avita.
540 At pius exsequiis lugubri more peractis
541 collegit se heros, curasque excussit acerbas.
542 Tum genus agnoscit patrium, fidusque tuetur,
543 ac fovet, et cursu placato transigit aevum.
544 Donec cum denis centum colleger at annos,
545 et seros facili numerarat mente nepotes.
546 Tum fato caeli, resolutus carne caduca,
547 aerias animam victricem exspirat in arces.
548 Scilicet haec Divum rectori sancta voluntas :
549 subvenit hic justis, et vultu judicat aequo.
550 Disce timere Deum, soli confidere disce.

FINIS

## ARGUMENTUM HISTORIAE JOSEPHI CUM CHRISTO COLLATI.

P1_05 v.1 Exsuperans aegram Rachel formosa sororem,
2 prodidit augustum fatali nomine Joseph ;
3 post, enixa alium, superis concessit ab oris.
4 At puerum, Israel miro servabat amore,
5 confectis sublatum annis, monitisque fidelem.
6 Dumque vagos fratres juga per deserta requirit,
7 sufficiens victus patrios : populatur honestam
8 et chlamydem, et caveae moriturus conditur alvo.
9 Hinc generi externo succedit, venditus auro,
10 et patri amissa miserum fert veste dolorem.
11 Inde ubi flammatae durum se opponit amanti,
12 indignis trahitur poenis, sociosque sub alta
13 solatur spelunca, et divum fata recenset,
14 alterum ab alterius diversos omine cernens.
15 Hinc magno Rege eruitur : indutus et ipse
16 regia sceptra manum. Volvuntur tempora lapsu
17 disparia, et fratres externa ad limina cogunt
18 ignaros, simulato odio quos durus agebat.
19 Tandem se se aperit tectum : Benjamine mentem
20 sospite laetatus, recipitque excita suorum
21 agmina, tranquillae traducens gaudia vitae.

## VITA CHRISTI DEPICTA IN JOSEPHO.

P1_06 v.1 Jam roseos optata dies induxerat ortus,
2 et sua praescriptos complerant tempora fines :

languescens potitur promissa terra salute.
Mobilis exitium velut orbi femina mittit,
sic tulit auxilium vitae sacrata virago.
Casta Dei genitrix de stirpe exsurgit Iessae,
auctoremque refert deducta ab origine Abramum.
Flaminis aeterni virtus operatur in alvo
intactae : prodit mundi matrisque creator.
Scilicet haud libuit gentili e semine nasci,
quod turpata acie lumen caeleste tueri
formidans, divum simulacra indigna colebat.
Pullulat en fetu praedicto virga virescens,
et flos e tenera radice emergit Iessae,
quem super incumbet divinae Spiritus aurae,
aura potens, sanctis fecundans omnia donis.
Non ille immiti procumbet flaccidus aestu :
fortis erit, vires pietatis consiliique
desuper excipiens, intellectusque profundos.
Pax bona florescet, procedent gaudia terris.
Exsulta ante alias Judae felicior urbes,
quae tenui specie Bethlem suppressa jacebas,
maxima facta solo, quia de te prodiit heros,
sub juga qui populum Israel justissima mittat.
Aeternum egressus Domini, aeternumque regressus.
Sancta Dei soboles, Patris Augustum incrementum.
Mille per aerumnas, post tot discrimina carnis,
gratia, et aeterni vis tantum exaucta favoris,
quantum nec referant centum linguae, oraque centum.
Gloria, majestas, digni comitantur honores,
perpetuumque decus lato celebratur in orbe.
Qua vel Eoa domus Solis, quave Hesperus illum
excipit, effulget Christi venerabile nomen.
Hic ille abjectus vilique inglorius ortu,
quem super obstupuit vastum genus, imposuit qui
languores humeris nostros, perque omnia victor
nunc regit et terras, et pulchra altissimus astra.
Postquam humiles ventum ad sedes, regione polorum
posthabita, lucemque hausit generata virorum
stirps, quoscumque Ducis magni per tempora, et ante
fas erat enasci : mater Judaea vigorem
deposuit vitae, tenebrisque sepulta recessit.
Nempe cadit pietas priscorum languida avorum,
tollitur obstringens Moses, oracula cedunt
fatidici coetus, venturi nuntia Verbi.
Magnus enim bellator adest, qui comminus anguem
Tartareum aggrediens, contundat, robore pressum
Herculeo, frangatque caput, quod dira venena
spirat, et admorsae molitur vulnera calci.
Editus humano generi nunc filius iste,
quem Pater aeterno flagrans patefecit amore,
jamque senescentis mundi demisit ad imum
hospitium, inclamans : "Hic dilectissimus ille
gnatus, in hoc animae placuit sibi tanta potestas.
Ante mihi rerum genitus primordia, lapsi
causa hominis, saeclo postremo exordia sumit.
Hunc audite solo quicquid viget : oscula ferte
obvia, mitis enim, nec torvo inamabilis ore."
Quoslibet indigno peccati pondere onustos
erigit, instaurans animos, relevatque cadentes.

Missus in haec deserta subit, quo perdita fratrum
agmina, quos laribus certis abduxerat error,
restituat domui antiquae, servetque vagantes.
Inseruit victus horrenda per avia, blando
confixus maerore Pater : venit ecce benignus,
jussa obiens placide, nec saeva pericla locorum,
aut iter insuetum teneri pedis ista retardant.
Ambrosia verbi caelestis pectora pascit,
pectora, si capiant nullo interitura sub aevo :
instaurans fessos virtute, fame eximit aegros.
Hinc aperit mentem cupidi genitoris amicam,
instigansque viae, exulibus praecurrere gaudet.
Indignata manus subeuntem pertulit aegre,
ut primum vario succinctum spectat amictu.
Nam Ducis aetherios artus Ecclesia velat,
involvensque sinus speciosos, pulchrius ornat.
Hanc sator immensus nato circumdedit alto,
dotibus intexens miris, largoque decore.
Interius decor iste viget, quem Spiritus offert,
non ficta specie externa, rituque sacrorum ;
sed qua se agnosci Christus praeceperat ante,
dum docet, ac populis caeli decreta resignat,
per socios, totum quos ablegarat in orbem.
Intumuere animos turbae crudelibus iris,
quippe Pater praeferre aliis dignatur amore.
Hicque rebellantes, cultuque adversa secutos
dogmata, corripuit dictis, abolere sinistros
aggrediens usus impuraque corda retexit.
Idem saepe canens veterum praesagia vatum,
vendicat immensi regis sibi debita sceptra,
quem capere et nequeant terrae, et penetralia divum.
Ipse Deum sese signis ac voce professus,
munera de imperio subjecto digna requirit.
Fit dolus : expertem delicti evertere tentant.
Nec sat erat dictis capto insultasse nefandis,
blasphemas armasse manus : furit aestus in imis
pectoribus, sceleri horrendo praebere lupatos.
Aggressi, imposito carnis velamine nudant,
quod pictum insigni virtutum luce refulget,
quo Patri placuit deserta subire jubenti.
Exutus celebri spolio Phlegethontis ad atras
devenit fauces, pendens immania fata.
Tunc quoque mandati non immemor ille paterni,
indoluit, miserans caecos, odiumque superbum.
Nec tanta occubuit lucta ; sed corde resistens
praevalido, invidiam Stygia superavit in arce,
evasitque manus saevas, fixitque tropaea.
Ecce sub effosso tumuli dum clauditur antro,
praesentemque illis persuadent omnia mortem :
securi satiant animos, curamque remittunt.
Jam spes arrectae falsum procumbere regem,
nec pietatis opus, nec famam obstare perempti
ulterius : causam portus intrasse quietos.
Composito divum miro, manus inscia Gentium,
haud generis, legum, nec foedere juncta sacrorum
accedens longe : sermones contulit ultro.
Extemplo taetra sublatus fauce sepulchri,
ingreditur turba medius, seque hostibus offert :

si tamen oblata sub religione tueri
insidiatores, lumenque offundere possit.
Tertia namque dies vitalem lampada Phoebi
rettulerat : morti devotus surgit ab Orco
et sese immiscet vivis ; hortatur obortas
ut pestes abigant, tum pectora conscia purgent.
Sic triduo templum vasta quod destruitur vi,
ad superas auras spatio fabricatur eodem,
et nunc perpetua sacrum statione manebit.
At nihil obtusum miti genus ore movetur,
sed pronum ruit in facinus, monitisque feroces
opponit fastus, nec finem injuria novit.
Tantum igitur pignus, tanta bonitate reclusum,
tollitur ingratis. Adsunt, quos nulla potentis
notitia imbuerat sceptri : jam cuncta patescunt
perfusis oculos densa caligine inertes.
Jam peregrina virum legio, venerabile corpus
per Fidei excipiunt grato commercia corde.
Fit comes his Christus, stirpemque relinquit avitam.
Illi cedentes longinqua ambage viarum,
finibus adducunt ignotis gloriaque illic
Barbaricoque ejus nomen celebratur ab ore.
Imperium exsurgens, irrelligiosa propago.
Praedicat : et Regi confidens laeta precatur,
perque solum verbi fragrantis spargit odores,
illustratque decus, nec caelo gratior ulla est
gente, sibi expulsum quae spreta in tecta recepit.
Non tamen invisus loca per natalia cunctis,
sed tacite insertus fuerat compluribus ille.
Grata quidem stimulat leto expediisse cupido,
atque aliis Nicodeme tuus labefacta subintrat
corda dolor, crucians longe meliora probantes.
Assensere pio monitori, acresque tulerunt
hortatus, quia sancta vident et justa ferentem.
Verum confusae felix constantia menti
defecit : pavor est qui faucibus angit obesis.
Conticuere metu, nec quicquam obtendere contra
exorsi, interitu consortia signa dederunt.
Blanditias inter tales divellitur inde,
et populos longo divisos devenit axe.
Peccati venia, et pax aurea, vita perennis
dempta abeunt : subiit gravis inclementia noxa.
Haud mora, conversi impelluntur quaerere raptum.
(Heu nimium sero fragilem agnovere laborem)
quod, desiderio ni subvenisset acerbo,
praebens se aspectu cordis, dolor irritus omnis
quippe foret, timidos eadem nam culpa maneret,
quae sontes alios horrenti immersit Averno.
Commaculant alii patria ornamenta : venena
caelica scripturae foedantes jussa relictae.
Et licet haec totas effundat bellua vires,
quae prius immani disrupit dente Prophetas,
praedictumque tulit Semen, proceresque docentes ;
attamen hanc alio praetexunt nomine caedem,
insontesque manus simulant : praecordia fuco
intus operta virent. Doctrinae lumina falsis
legibus invadunt perjuri, alienaque miscent,
apta patrocinio quaerunt figmenta Deumque

mortales simul incautos ridere parati.
Interea ignarum se criminis exhibet hujus
longanimis Genitor, simulatoque effera vultu
despiciens opera, interius vastum premit aestum.
Donec pressa, caput custos pulcherrima veri
justitia exsertat, furtiva inventa recludens.
Quam male lusisti tunc vis Judaea Parentem ?
Infida excidiis, immani copia probro
polluitur, notisque perit foedissima factis.
Confundantur enim, quos impetus urget in illum,
quem servando homini Deus alto e limine misit.
Diversa exilia et tranquillas quaerere sedes
postquam agitur : Mosis stricto sub jure ministrat,
et rectoris heri praecepta asperrima complet.
Immotas etenim manifesto numine leges
aequavit, se subjiciens, haec omnia solvens,
in nobis quicquam ne possit ab hoste requiri.
Legiferi Synagoga viri turpissima conjux,
quae toties vetita moechata cupidine divum est,
hospitis ardescens specie, et virtutibus amplis,
quas per doctrinae lucem commiscuit almam,
furtivos astu vano meditatur amores,
quo pulchrum caput ad foedus perpellat iniquum :
unam namque fidem fore sic sperabat utramque.
Reppulit ille modos jungi queis debuit omnes,
nec tulit incestus virosa aspergine tingi.
Idcirco nova furta parat, pactumque negantem
aggreditur, fidens animi, atque in utrumque reclinans,
adverso exitium ferre, aut servare volentem.
Ille scelus fugiens, scripturae texta relinquit,
induitur quibus, et sanctissima membra decorat.
Haec mox (infandum) manibus tractantur iniquis.
Vis infensa notam testatur criminis acti,
dogma ferens signo, quod non hic postulat usus.
Quippe Dei nomen fictum, mentitaque sceptra
promissi Herois, premeret qui maximus orbem,
jure abolens proprio decreta antiqua sacrorum.
Legiferum violasse virum, foedasse salutis
sanctum opus, effrenos molitum turpiter ausus,
nec fas, immunem poenarum degere vitam.
Ergo perfidia caveis detruditur Orci,
atque injustitiae sedem justissimus intrat.
Ecce duo sontes aeque prenduntur ibidem,
quos Moses Regi duro damnaverat ore :
gentiles turbae stirpsque alto a sanguine Abrami.
Contulit ipse gradum, liber spatiatur Averno,
intrepide versans felicem pectore palmam.
Nec poterant illi tantis evadere monstris,
ni prius hic dictis fatalia solveret ora,
ostendens crudele malum, praesensque levamen.
Gens rea, quae saevam delictis aggerat iram,
dum laticem verbi divini munere falso
et nugis miscens depravat, morte tenetur.
Haec inter dubiis, Christus verissima vitis,
quae reficit vires, languoremque exuit aegris,
offertur : medicina venit per nuntia vatum.
Accipiunt animis, triplici de more salubres
edentem fetus, animaque, et corpore juncto,

et qua parte sui superat mortalia cuncta.
Sanguinis optatum credentes inde liquorem
corde pio prensant ; commotoque obvia Regi
dona ferunt, mentem stimulans restinguitur ardor.
Post, tribus exactis vicibus : dum conscia facta
terrificant animos miserorum, uruntque dolentes ;
dumque erecta Fides pressos solatur, et effert ;
concipiuntque novos motus jam pectora pura,
parta salus laetis, aeternaque gaudia surgunt :
conspectu subeunt Regis, vitaque fruuntur.
At genus indignum, quod faucibus abditur aulae
Tartareae, peccata videns, gravi inhorruit ira ;
nec tamen abstinuit, pestis quia tabida inhaesit
altius : extremum subita versatur Eriny.
Spes nulla auxilio miserae subit addita menti.
Heu, quia nam renuit venientem inducere Christum,
horrida doctrinae tractans fermenta nefandae ;
suspensum est animis, nec terra aut aethere in alto
captat opem, cum spe requies intercidit omnis,
eruiturque acies illis per iniqua docentes,
ne caeli aspiciant auras, almumque vigorem.
Sic quae cara fuit species, deforme cadaver
nunc putrido Regem laedit foetore supremum
exitioque piis spectacula tristia praebet.
Interea nutu praeses qui saecula torquet,
vestigat, si quis dempto sua numina fuco
impleat, arbitrium exaequans stellantis Olympi,
atque voluntatis supremae jura facessat.
Non ea vis ulli ; nec quisquam ex agmine tanto
(qui coluere Deum, vestigia dura secuti,
nil mortale sonans Christus quae monstrat eundi)
respondere valet monitis, Regique placere.
Mox alto imperio, detentus poscitur antro,
qui parens justo faciat satis omnia motu.
Nam Genitor Stygias per natum destruit oras,
et luci revocat miseranda morte peremptum ;
instauratur honos, virtus, nomenque decusque.
En mundo servator adest, qui concita mulcet
justitiam objiciens aeterni pectora Patris.
Hoc opus est uno : ne ad pallida regna trahantur
tot corruptae animae, pereat ne exercitus ingens,
e victo Phlegethonte viam qui affectat ad alta.
De tanta pietate sonant praeconia terris,
atque potens penetrat cum summis infima Christus.
Larga Evangelii vox omnia complet ubique,
diversique loci sancto sermone resultant.
Mortales animi pascuntur semine frugum,
perpetua infundunt firmo quae robora cordi.
Non hic atra fames, non mordax angit egestas :
ambrosiae vitalis opes suave undique florent.
Nunc saturate pii mentes, nunc carpite fetus,
jam datur, et suadent quaecumque ; o quos bona tangit
consilii species, nunc horrea visite plena
scripturae : cumulos jam nunc stipate frequentes.
Deficiat ne deinde Fides, ne deinde querelas
incassum spreta de commoditate feratis.
Heu, quondam miseris subito crudelis oborta est
involvens labes terram, lex horrida postquam

saeviret passim, steriles grassata per agros,
nec refici poterant assueto pectora victu,
lux exstincta bonae vocis, placata ferentis
numina, confractos Erebi cum cardine postes.
Ira perculsi supera tabescere multi,
molibus injustis vitam exhalare subactam,
torqueri, gemere, et jam despondere cadentes.
Proh ! Vereor nostro ne par impendeat aevo
tempestas, viresque suas exerceat in nos,
spirituale famis damnum, ingratosque revisat.
Namque reluctantes vatem dum spernere Christum
audent Judaei : pestis miseranda secuta est.
Et licet inquirant verso mox corde salutem,
ora redemptoris non agnovere reperti.
Inconsulti abeunt, odioque oracla sequuntur.
Post tamen, immensa compulsi strage malorum,
effari facinus subiguntur mentibus aegris.
Sese perfidiae diris impulsibus actos,
insontem repulisse solo, mortique dedisse
Messiam, et scelerum justas jam pendere poenas.
Luctibus aeternum tantis onerantur iniqui,
dum neque adhuc animis gaudent immittere Regem.
Ipse Deus fusum poscit de stirpe cruorem,
atque Prophetarum vitas, quos effera turba
perdidit, a primis fabricati sortibus orbis.
Nec minus immitem sese adventantibus offert
servator, simulatque graves mitissimus iras,
ac si perpetuis statuisset prendere vinclis,
atque reos dura sub lege tenere ligatos.
Verum sancta Fides, et Spes cum se exserit ardens,
cumque voluntati fixum est parere supremae,
mollescit gravitas, miseros quae terruit ante,
accurrit precibus, taetroque a funere servat.
Hinc ubi crebra manus salvantem accedit Iesum,
quaeritur ipse etiam divina in munera Paulus,
tempora qui fidei nondum matura gerebat,
per quem tot populis Christus foret ipse videndus.
Hic legatorum minimus, quos undique terris
emisit, fructu praecelluit ubere cunctis,
exhausitque pio duri plus corde laboris.
At via terrificis cum sit satis aspra periclis,
quae facile offendunt gressus, urgentque sequentes,
condoluit Pater ipse malis, quae fine residunt
pacato, mirisque modis in gaudia vertunt.
Nos vero, exacta Christus quae mole laborum
cumque tulit terris, ulla sine merce per ipsum
consequimur ; partitur enim credentibus ultro
dona suae mortis. Sic nos servare placebat.
Dumque intus trepidant animi, quoniam insita mordet
debilitas notumque premens vindicta, laborum
quas moneat moles, humana piacula pendens,
subsidio veniunt, sacra queis mysteria curae,
blandaque perculsae portant solacia menti.
Nam bonus hic nobis, ultroque accersit onustos,
quos dolor oppressit, diram labem eruit aegris ;
nec peccatoris, toties quod facta merentur,
exitium mavult, ad se quam pectore verso
ut fugiat, renovetque fidem, pacemque precetur.

Idcirco fessis convivia divite cultu
instruxit, ponens epulas, caelestia dona,
quae recreant animas aeternaque robora vitae
suppeditant, renovata feruntque haec corpora caelo.
Huc properate citis pedibus, properate fideles :
omnibus ire licet, sacris discumbere mensis.
Hic saturanda fames, sitis hic relevanda salutis,
hic Panem capies vivum qui vescitur illo,
nil mortale geret : potu qui rite fruetur,
immixtus Divum numero dominabitur astris.
Dumque aliena cohors simul accersita frequentat,
quae conjuncta nihil generis per vincula Christo ;
agmen seducet notum sanctissimus hospes,
atque locum tribuet proprium, clementia justis
continget multumque suos refovere juvabit.
Ast ubi securum degunt jam pectora morem,
jamque sibi vitiis nusquam foedata, videntur
tuta placere Deo, meliori sidere agi rem :
en subito invadunt urgentes terga ministri,
et clamore metum ingeminant, vastoque tumultu
conquassant animos porro nil tale timentes.
Inscia peccati lapsum in praecordia virus,
lege gravi arguitur ; prodit manifesta sepultum
causa malum, furtoque leves deprendimur ipso.
Hic non pugnandum contra, graviterque fremendum,
namque patrocinio magis alta accenditur ira.
Sed votis opus est, placidamque exposcere pacem,
et fugere ad regem, cujus stant omnia nutu.
Supplicibus non ille venit crudelis, et asper,
sed mitis, gaudetque simul, jam tramite leti
Tartareo ingressos, ad dexteriora reduci,
ac precibus sperare graves mollescere poenas.
Sed tamen, ipse licet toties sit voce locutus
inciso generi Christus : cognoscere numquam
Messiam valuere suum, confidere in ipso.
Nam modo delusi terrena haec regna petebant,
plena voluptatum studia, et veteres thesauros,
vitam prae reliquis sublimem, nomen, honores,
nec causam adventus spectabant lumine capti.
Ergo ubi fatorum processerat ordine tempus,
unde revelari fuerat divina necessum ;
per manifesta solo sese miracula praebet,
vocem Evangelii cunctis ostendit apertam.
Se servare genus periturum, avertere mortem,
complacare Patrem, Stygias restinguere flammas.
Coguntur Dominum mortalia cuncta fateri,
qui caelum reseret, strictis qui vincula solvat,
omnibus haec populis mens, et vox omnibus una.
Salvator demissus adest, Deus aethere ab alto :
corda parate ipsi, vitae dat munera solus.
Tum nos, quem primum trepidavimus, ore sereno
invitat, frangens mordacia tela timorum,
et fines aperit, cur haec sit tristia passus :
ultro ad tecta vocat stellantia pergite laeti.
Sic mundum genitor magnus dilexit, ut ipsum
aequalem sibi, nec dubitarit mittere gnatum,
qui mortis patiens, mortem deperderet atram,
perdita restituens lapsas in gaudia turbas.

En sibi, post tantas pestes, incommoda tanta,
aeterno sociat mansuram foedere sponsam.
Incedit regina potens, Ecclesia victrix,
victorem referens super aetheris arce sedentem.
Dotibus haec potitur, quae maximus attulit heros,
distribuitque aliis sociati munera regis.
Haec celebrare decet, multisque injungere, ut aegri
hic requiem accipiant, hoc amplectantur Asylum,
ne consumpta fame turba hic, perdatur et illic.
Festinate igitur, quos pressat egena cupido :
hic morbo medicina datur, vigor hinc redit almus.
Exigui numero quamvis haec agmina primum
stiparint, ingens manus est collecta sequentum.
Et jam nunc superant : meliusque, magisque superbum
dilatant justi imperium, caeloque propinquant.
Cumque Dei sit nota piis immota voluntas,
quod placata animi bilis, quod gratia parta
thesauri maneant hominem, quos de cruce sacra
ad Styga demissus, victor reparavit Iesus :
conclamant pariter laeti consensibus aequis,
cum sene, promissum Semen qui suscipit ulnis,
cycneasque canit voces, jam numine plenus.
Ecce ego jam carnis cupio compage resolvi,
nec mortem trepido ; liceat decedere tandem,
tranquillo fervore animi, jam pace reducta.
O genitor, cujus nutu inclinata recumbunt
coepta mea, et fotum cultu quem supplice servo,
qui salvas, recipis, curas, audisque vocantem,
nunc age, securum me corporis exue vinclis.
Jam promissa patent, nec me vox ista fefellit.
Messiam complector ovans, fons iste salutis
prosiliit, vena reficit qui corda perenni.
Ecce Redemptorem, nostri quem victus amore,
orbe palam toto transmittere constituisti.
Lux haec clara, nigra gentes caligine mersas
illustrat, caecumque chaos, tenebrasque resolvit.
Lux eadem, Israel tibi gloria summa, tuisque :
illic orta etenim, cunctis effulsit in oris.
Eia age, Christe, veni : stricturas dissue tantas,
exsulibus patriae portas jam pande beatas.

## SERENISSIMO PRINCIPI MAXIMILIANO ARCHIDUCI AUSTRIAE, etc. CORONAM BOHEMIAE ET REGNI ROM. ACCIPIENTI.

P1_07

Atque nec immerito nostra cantabere Musa,
justitiae quis enim satis, invictive laboris,
miretur, dignaeque ferat praeconia famae ?
Dum Germana salus toto tibi corde resedit,
qualem consilio res instaurasse Quiritum
collapsas perhibent Fabium, vel fortibus ausis,
Scipiadas, Decios, Marios, magnosque Camillos,
talis es o nostrae tutor fidissime gentis.
Macte igitur meritis tantis, et nomine tanto.
Ecce parens, tacitum spirant cui pectora numen,
maturam sacro cinctus diademate frontem,
gaudeat ut, tanto nati felicis honore ?
Quid gemini heroes ? Nomenque animumque parentis

Fernandus referens ? Pulcher quid Carolus ille,
virtutes patrui divi circum indole gestans,
nonne decus partum multo gratantur amore ?
Ut nova reginae demulcent gaudia mentem ?
Reginae, qua latus Anas, Baetisque sonorus,
et dives Tagus, ac se jactat Iberus alumna.
En teneri gnati sanguis tuus, ut tibi plausus
ingeminent ? Ultra vires, sortemque tenellam,
ante tuos vultus steterunt radiantibus armis.
Inter se coeunt, vibrantque imbellia tela,
ausi magnanimum heroum tentare laborem.
Dii patrii, servate domum, succurrite pubi,
ante annos animis multa et virtute vigenti.
Nigranti late possessa Bohemia luco,
jubilaque, motusque novos, hilares conventus
apparat exsultant ; aether praeruptaque saxa
et valles studiis reboant collesque faventum.
At procul exoritur pompae majoris imago :
fit strepitus, fervent sola equis, sonituque virorum.
Omnia plena novo assensu, fremituque secundo.
Pulchra pater Moenus velatus cornua musco,
spumiferum caput exsertat, miratus obortam
laetitiam. Variis sed enim de partibus orbis,
huc misisse duces variarum numina aquarum
spectat, ubi insignem Francfurti allabitur urbem.
Venerunt, rapido quos alluit amne Visurgis,
quos Amasi fluctus Borealis, et ille Suevus,
Isara, Danubiique hospes gratissimus Oenus,
Pegnesusque, et Mura, Lycus, Mosellaque, Dravus,
Sanus, et insignis Rhenus, celeberque Viadrus,
Oegraque rauca fluens, et Elister, Sala recurvus,
Molda, et largifluis repetens freta flexibus Albis,
agglomerant pariter, laetantiaque agmina jungunt.
Quos udus senior dictis compellat amicis
fataque dextra viro Augusto, sceptrumque precatur
felix et nostro generi, generique nepotum.
Haec sonat, ac certo responsant omine ripae :
"Vive diu bonus et felix rex optime vive.
O si fata meis vellent me ducere vitam
auspiciis, numero nunc nunc commixtus in illo,
gratantes canerem populos, ritusque verendos,
splendida coepta virum, tentataque proelia Martis,
et quodcumque tuo sese ostentaret honori.
Non animo illabens alio plus tempore Phoebus,
vertisset stimulos, laxasque dedisset habenas.
At quia florentem studiis Saturnia tellus
jam tenet, et longas blandum me invitat ad artes,
terra armis opibusque potens, uberrima rerum,
atque ipsi studiis insignibus aemula caelo,
pauca novo Regi (sed quae tamen ipse benigno
captus amore leget) meditabar carmina vates.
Audiat haec pulsas pater Appenninus ad auras,
te nemus omne canat, te flumina nota Maroni,
et mare, quod supra terram hanc quod circuit infra.
Primus ego aeriferis fato digressus ab oris,
felicem Ausoniam veniens Lavinaque rura,
insigni dictas Joachimi nomine valles,
Mantuam feci late resonare cicutam.

Sis bonus, o patriae decus et spes unica, jam te
jam majora manent, majora revolvere Parcas
Jam video, mentem si veris implet Apollo,
mox tua sublimi cantabo gesta cothurno.
Vive diu felix, atque haec mea carmina cura.

## SUMMA DOCTRINAE CHRISTIANAE.

P1_08
Dum frondent silvae, dum formosissima terris
it species, animum caeli spirantibus auris
perculsi, Musae Austriades divina canamus :
vitiferos inter colles qua perstrepit Ister,
atque avibus resonant habitata arbusta canoris.
Audiat haec aether, rex audiat aetheris ipse,
quippe Deo gratum divinas texere laudes.
Ante maris fremitum, terras, caelique meatus,
numen erat, quod sceptra manu miranda tenebat,
omnipotens, unum, simul ipso in munere trinum,
quem dixere Deum, patria a bonitate Parentem.
Quem rerum dominum primi agnovere coloni
vitisator Noe, praeclari sanguinis auctor
Tharides, monitu qui jugera linquit avita ;
Isaacusque patri productus victima quondam,
et qui cum divis validus luctatur Iacob.
Quique Philistinum Jessides obruit hostem,
primigenaeque alii coluere hunc mentibus unum.
Hunc extra nusquam Deus est : hic singula solus,
quae superis exstant mundi quae partibus imis,
Verbo immortali fecit, perfectaque servat.
Primus, et arcana ratione novissimus idem,
libera justitiae sedes, essentia verax.
Inde quod est, quod post fiet, quod desiit esse,
exoritur, tali procedunt omnia causa.
Materies nihilum est : per eam, quodcumque movetur,
quaecumque exsistunt, visa aut incognita nobis
exstruxit ; quodvis operatur in omnibus ille,
pro libitu, imperium magnum sine labe gerente.
Olli quis similis ? Quis tanta evolvere praestet ?
De quibus, audaci nec fas inquirere dicto,
cur aliter, vel sic, faciat veneranda potestas.
Dum staret picto fundata sub aethere tellus,
undique directa ad medium, nullo avia motu,
gauderentque nova quaecumque animalia vita.
Luderet hinc celeri volucris per inania gressu,
squamigerumque genus libraret corpora in undis ;
tum fera per silvas, et florida lustra lateret,
reptilia in duris torquerent pectora glebis,
pars modo Neptuni campos, modo sicca subiret :
felici serie genitor digesta probabat
cuncta, favens coeptis quinta jam sorte peractis.
Deerat adhuc rector, qui cetera jure teneret,
sub cujus dicione forent, quae sustinet orbis,
hic opifex, superare suae simulacra figurae,
sanctius et quiddam reliquis producere gaudet.
Nam, pater innato quamvis cum lumine Titan,
procedensque calor, vitam qui in corpora spirat,
personam triplicem demonstret numine in uno :

factorem referat per humum licet exiguus flos,
non tamen ipsa simul sunt conscia imaginis hujus,
orbaque notitiae, nobis haec tanta relinquunt.
Nobiliorem igitur madefacti pulveris arte
finxit in effigiem propriae virtutis, Adamum.
Eque viri cinctu (qua se bissena recurvant,
et juga pulmonem thalamosque obeuntia cordis,
ventriculo inferius breviora et mollia cedunt)
dempta parte, hominum matrem dum fabricat Evam,
solamen, sociamque aeterna in foedera junxit.
Natus homo, ingreditur jussu cultissima Tempe,
quae sator ad roseos Phoebi plantaverat ortus,
dignam numinibus sedem hospitiumque decorum.
Eligitur custos, rerumque potitur habenis :
mens, intellectus uberrima, congrua justi,
splendor notitiae, sapiens integra voluntas,
candida libertas, cor foedae labis egenum,
pura domus domini, vitam sine morte daturi :
omne bonum massa in tali caeleste vigebat.
Effulsit de carne Deus, cui rite placebat,
concelebransque habitatorem caro provida sensit.
Ecce sed invidia Satanae in divina furentis,
(fastus enim molem hanc taetram dejecerat axe)
heu, virus crudele capit, per sibila blandi
serpentis, totaque gravem cum stirpe ruinam
sustinet, extremae contagia debita proli.
Nam vetito indulsit, mandata augusta relinquens,
exemplumque Dei sceleratum est Daemonis antrum.
Tunc error dubius, tunc flamma cupidinis atrae
pectore subsiliit, virtus submersa decorem
exuit aetherium, regnant vitiumque nefasque :
omne malum massa in tali letale vigebat.
Pro quantum infelix genitor mutatus ab illo,
qui prius exuviis positis se nudus agebat ?
Proinde, omnes quos impietas haec edidit orbi,
horrifica auctoris premit ira, jugumque tyranni
deceptoris agit miseranda peste subactos.
Tum, quos vita prius sanctos aeterna manebat,
turba sumus damnata Erebo, atque obnoxia morti.
Non tulit hanc cladem, nec fraudem passus inulte est,
commiserans bonitas justae quia praevalet irae.
Stat via, qua detur tantam sarcire ruinam.
Non genuit tellus, qui dona amissa reducat,
conciliet motum ingentem, fera Tartara vincat.
Quapropter perjuro homini, scelerum comitatu
stipato, auxilium celsa spondetur ab arce.
Poscitur effigies immenso proxima Patri,
obtutu quam prima sui substantia gignit,
aeternam, aequalem, sacro de lumine lucem,
in qua mirandum transfusa essentia regnat.
Christus hic ille potens, immota lege Sacerdos,
suscipiens humeris sordes, queis purus et expers,
subjectus, patiens, placabilis hostia, Siloh.
Hoc semen miseris meliori matre renatum,
occurritque lubens, nec ferre indigna recusat,
corrupti generis tanto fervore misertum.
Pendet ab hoc reparanda satus, renovandaque vita :
his pedibus colubri caput est immane terendum.

Panditur exulibus laeti domus aurea regni,
cumque hoc permissum campos intrare beatos.
Firmiter huic quoniam prima est confisa vetustas,
gaudia luctifero lapsu sublata recepit,
consors facta poli, accensa virtute priori.
Quotquot viva fides vinclis huic inserit artis,
interitum effugient, ac salva pace fruentur.
Interea densos coetus, populosque frequentes,
prolifico natura potens eduxerat ortu,
extuleratque simul caput Israele profectus,
omniparentis opes quaerens exercitus arvi.
Quo magis aucta fuit vitiata a stirpe propago,
hoc immundities tristem magis exseruit vim.
Usque adeo deducta fuit pro tempore pestis,
ut nec grata fugae fuerit nec cura medelae.
Obruta spes fessa quia cum pietate jacebat,
ne micuit scintilla quidem fulgoris amoeni.
Et quoniam infectae tam vasta superbia menti,
quo neque debilitas, aut noxa ab origine prava,
sentiri possent : securos impulit error,
nil libertatem et seriem censere futuram ;
nec Salvatoris magni fiducia restat :
salvus quisquis erat, quem proxima poena manebat,
indoluit rector superum, et ductore vocato,
(nomine servatum qui se designat ab undis,
dum teneros auferre mares edicta jubebant)
edocuit quae praecipiat, quae flagitet ardens.
Mons erat, aerio despectans vertice nubes,
pasturae facilis, diverso germine Sina,
innumero exhalans spiramina dia colore.
Sed tum terribilis, piceo tum fumidus aestu,
flammarum jaculans glandes, liquefactaque saxa,
turbae interdictus, reboans immane tumultu.
Nam Deus institerat, stellata vectus ab aula.
Nec mora, conscendit juga debitus ardua Moses,
praecludens animo monitus, et seria caeli.
Vocibus exactis, tulit inviolabile fatum,
quod regat has terras, quod duriter obliget orbem.
Ipse tonans princeps, geminis durabile saxum
formarat tabulis : digitoque insculpserat acri
quae servanda forent cunctis mortalibus, ipsam
si vitam servare velint, patriamque subire.
Hoc erat imperium caeli, infinita voluntas.
Attulit haec igitur, radianti lucidus heros
aspectu, splendore jubar dum obduxerat ora,
perpetuam rerum seriem, et moderamina mentis,
quae non ulla dies dirimat, mutetve soluta.
Lex ea, judicium, testisque, et nuntia sensus
divini, quem conatu deperdita nullo
assequitur ratio, sed iniqua fronte repugnat.
Firma Dei integros indicit regula cultus
sincereque homini praestandum suadet amorem.
Nitimur in pejus contra, atque obsistimus hostes,
vindictam proni malesuado more ciemus.
Hoc ubi sed speculum exhibuit malefacta videnti,
ultrix saeva, reos facibus confundit Erinys :
hinc Christi adventum sitiunt turba effera demum.
Impellit stimulus jam vestigare salutem,

unde luem relevent, Orco quae adducit hianti.
Hic tibi non Mosis donum, nec sacra litata
profuerint, sola ista umbram gessere typumque,
quod pro delictis nostris placidissimus agnus
occidat, et roseum crucis hauriat ara cruorem,
sontibus unde pater Placide mitescat acerbus.
Id tibi praestiterit, quod fecit saecula Verbum :
scilicet haec melior magnis data victima divis.
Consilioque igitur magno, lux aurea surgit
irradians, qua nil dederat Sol dulcius umquam,
optatum magis, et voto fervente petitum,
iratum graviter quae terris aethera sedat.
Tum semen castae natum mulieris ab alvo,
aeternae virtus quam fecundaverat aurae,
prodit, et hospes humum per se colit ante creatam.
Fit Christus quod condiderat, quod non fuit umquam
assumpsit mansitque simul qualis fuit ante.
Verus homo, verusque Deus, jam corpore in uno
se praebet nec vis majori infirmior obstat,
utraque sancta viget, concordi glutine juncta.
O quis consensus, quanta haec mysteria divum ?
Dissimilis natura prius, se amplexa vicissim,
justitiae gemino patriae nunc paret in actu,
seque velut ferro insinuat penetrabilis ignis :
undique miscetur sine noxa, tunc eadem fit
duplex materies, nitet insita flamma, metallumque ;
haud aliter splendor Patris sacer, undique carnem
ingreditur circumfundens penitusque minoris
illustratur opus naturae, et fingitur intus.
Unus homo poenam luit, ut peccaverat unus,
placarique Deum conformi numine fas est.
Flagitii quando nimirum et fraudis abunde est,
delapsus servare venit pereuntia regna.
Heu, rabies vesana, animos quo concutis oestro ?
Ecce ruunt, quorum de causa accesserat ultro ;
insidias tendunt, a quo sperare decebat
praemia perpetuae sedis. Sublimia caeci
mox urbis statuunt Solymae ad praetoria vinctum.
Ore venenato certant illudere capto,
promissum regem diris insignibus ornant.
Contextum spinis horret diadema capillis,
et facies pugno miserum contusa tumescit.
Cum pedibus palmae clavis terebrantur acutis,
membra cruore fluunt mordaci secta flagello.
Crux onerosa humeros indigna mole fatigat,
lingua sitim relevat permixti fellis aceto,
et framea audaci pectus mucrone recludit.
Dumque anima adjunctos cedens demiserat artus,
injiciunt tumulo, atque accessum milite cingunt.
Nempe hoc mundani Christo fuit imperii jus.
Namque nec has orbis leges, nec frena petebat :
verum aliud sceptrum, major vis, principis hujus,
quod more insano non hic sibi somnia fingant :
sed meliore statu, quem monstrant atria caeli,
non cessurum umquam, sed tota in saecula vastas
aucturum vires, quem mortuus inchoat heros.
Rursus enim busto evigilat, victorque barathro
disrupto monstri Stygii, vitae ambulat usu,

solaturque suos, et verba novissima mandat.
Tum primum coepta est promissi gloria regni,
atque triumphator decus hoc partitur in omnes,
qui sua castra colunt infuso Flaminis aestu.
Dulce ministerium bona non mortalia spectat,
legatis quod habere dedit, sed commoda profert,
sanguine restaurata suo, partisque tropaeis.
Et veluti cavea resplendens ipse resurgit,
sic mortale lutum in melius mors alterat atrox.
Hic igitur valuit dejectos tollere ad astra,
et lenire graves fremitus, submergere culpas,
diversis implens signacula prima figuris.
Hostia promeruit pacem jam sanguine sparso,
gratia delictis longe praecellit iniquis.
Jamque coheredes magno sociamur Iesu :
pro natis reputat purgatos conditor altus,
in sua depulsos exsultans tecta referri.
Sic demum apparet verax mens diva creatrix,
divitias animae placidae, immensumque favorem
ostendens, salvosque humiles vox blanda profatur.
Atque haec ut sano possimus corde tueri,
qui fons hinc scateat, quae felix vena bonorum
inseritur renovata sacrum in praecordia flamen,
subsistensque Deus docet, obsessosque gubernat.
Non tamen hic Natus, Pater, aut Agitatio facta :
simplicitatis hic est majestas tertia, utrimque
procedens, consolator, lucisque repertor.
Ille, ubi principium non tum integra machina sumpsit,
Nerea nigrantem super incubat, ac fovet undas,
vitali ceu sedula avis tegit ova calore.
Cum grege legiferum pastorem, gurgite scisso
purpurei maris eduxit, veroque Prophetas
afflavit cantu, qui electos incolit omnes ;
descenditque olim forma sine felle columbae,
praecursor Dominum Jordanis ut abluit alveo.
Hic jam pectoribus nostris habitacula fixit :
erigit, accendit mentes, dat robora vitae,
imbelles formans operatur sancta per artus.
Hinc est illa Fides, laetos pulcherrima vultus,
quae certo assensu Messiae gesta prehendit,
ac statuit merito ipsius manare salutem.
Terrores adimit cruciatu crebra furentes,
tranquillum Nati inculcans pietate Tonantem.
Hac sine, producta est exstinctis gratia frustra :
nequiquam moritur data victima, humoque levatur.
Hoc nos vase decet thesauri condere pignus,
quodcumque offertur Christi mercede paratum.
Haec placet arca polo, sacraria tanta fovere.
Ipsa redemptorem astringit sibi : lucidus auri
ut gemmae inclusos ornatus attrahit orbis.
Hinc se visceribus mundis illa altera virtus
jungit amorifluo motu, superisque propinquos
officio fingit, patienti corde benignos,
invidiae exsortes. Non ipsa inflata, procaxque,
non sibi plus alio indulget versuta, nec ullos
abjicit a tergo spretos, non obvia bilis
aestibus, injustis adversa, hostisque malorum,
indefessa ferens durum, veri inclita custos,

nesciaque interitus, operando nescia metae,
inque homines, ipsumque Deum perfectio summa.
Hac dempta, humano nec quisquam nomine dignus,
sed fera proferri meruit, sive aeris acutos
clangores statua effundens, causae inscia et actus.
Spes cor praeterea pacatum interrita fulcit,
operiens dotes alieno munere habendas :
immortale bonum, quod patria donat aperta,
auraique feracis opus largitur ab astris.
Praemiaque hoc misero in coetu non irrita captat.
Aerumnas totidem, tot perniciosa laborum
agmina componit levius. Quia firma precatur
auxilium ducis invicti, qui assistit alumnae,
immotamque juvans, optata levamina praestat.
Quamlibet insanis cymba haec quassata procellis,
marmore. Jactetur dubio fatumque minetur
extremum rabies : velis tamen ostia prendit,
atque salutiferum celebrat servata magistrum.
Nam, quia tanta animis fiducia pendet ab illo,
accelerat maturus opem pretioque cruento
liber at ereptos fracto de carcere Ditis.
Ipse Pater venia fragiles dignatur, ob hujus
justitiam et meritum fratris communicat omne,
non dura abjiciens languentum facta Gehennae.
Denique in exemplum nobis haec praevia cessit
integritas, simili ut lucescant corda decore,
ductorisque legant stabili vestigia passu.
Namque opera ut Stygiae bellator destruat aulae,
et meliore via doceat procedere justos :
unicus adversum luctae prorumpit in agmen.
Dumque redit victor, nos in sua castra receptos
adseruit, jussitque sequi qua pergeret ipse.
Ergo, qua recti trames sei inclinat, eundum,
et tabulae, denis quas monstrat norma figuris,
figendae interius : mensque enitatur in ambas,
ut cultu digno caelestia debita praestet.
Scripturae munus laetissima nuntia profert,
Tartarei fraudes anguis cessisse repulsas
qui crudeli odio grassatus, debile turbat
hoc genus, impellens diro molimine mentes.
Subsidio miseris festinat gratia Christi,
et flatu aspirat fortes in pectora motus,
unde Dei mites statuit fiducia sensus
et niveo pietas exsurgens flagrat amore,
instigatque animos resides assuescere justo.
Non ingrata Patri namque obsequiosa voluntas,
grandia quae affectat carnis sub mole labanti,
et quantum potis est, recti data jura facessit.
Conciliator enim perfecta haec reddidit ante
et cultus perfert ad caelica templa reorum
acceptos, quoniam simul acceptissimus ipse est.
Hinc ab humo bonitatis odor prorumpit in altum,
et sacra caelicolum rutilant accensa per ignes.
Spargitur inferius suavis fragrantia famae,
quae laudes resonat superas, et adauget honores,
doctrina, exemplisque alios invitat honestis.
Idcirco sincera fides consistere nescit :
sordibus assuetis animus cum se inquinat audax,

indulgens morbo semper pejora gerendi,
neu fugere eventus tristes, horrendaque fata,
quae tergo impendent, venturaque damna minantur,
aut jam praecipites miserandis casibus urgent.
At contra pulchrae pietati praemia restant,
centenis vicibus geminum pensanda per aevum.
Et simulacra boni tenui spectata nitore,
desuper ingenti pretio exornata relucent.
Nonne Sareptanae subeunt monumenta figurae ?
Dum vidua extremae cum caro proxima morti
filiolo, jussis fungentem pascit Eliam ?
Illa quidem peritura famis rabie, exiguum far,
palladis et laticem sermoni credula promit ;
dum promit, crevisse videt, quae auferre timebat :
tota domus, vates, natus, bene fidaque mater
servantur. Non fracta Ceres, non humor olivi
deficit : hospitio tectum hoc Ecclesia legit,
unde voluntatem superam vicinia discat.
Insuper ipsam animam, quam Parca abduxerat aegro,
divino doctore puer per membra recepit.
Diditur hoc late factum, praeconia surgunt,
et faciens miranda Deus cognoscitur inde,
turbaque sei justos ad cultus plurima vertit.
His benefacta hominum compensant numina donis.
Quare agite ad Christum mentes attollite laeti ;
mitis enim lustrare docet sua signa magister,
vivendi instituens expertem crimine normam.
Nempe hic Pontificis supremi Sacra peregit,
dona ferens proprio rorantia sanguine ad aram.
Hic sacer ille Dei generisque rei mediator,
a dextris solio residet, lenitque parentem,
pro nobis interpellans, non immemor umquam.
Nec dubium, quicquid sub nomine poscimus isto,
sponte sua offerri, nec caelum obsistere votis.
Tantus amor, cum pura fides prece pulsat Olympum.
Quando animis igitur stimulus crudeliter urget
flagitium, miseris invito e pectore lapsum :
huc statuenda fuga est, hoc pressi cordis asylon
auxilio levat, et fessis dat habere quietem.
Namque ideo humanos inductus nascitur artus,
ut carnem, nigri quam fraus turpaverat hostis,
in sua regna trahens, purgatam sorde maligna,
restituat salvam, caeli plaudentis in arces,
morte sua reddens, aeterna quod abstulerat mors.
Haec est nimirum majestas inclita Christi,
cujus in adventum tam suspiramus ovantes,
ut sibi fidentes promissa in gaudia ducat.
Nam decreta polo simul ac processerit hora,
caelicolum stipante manu prodibit in auras,
et tuba sopitos ima tellure ciebit.
Ante thronum pariter stabunt justique malique,
vulneraque ostentans, haec fundet ab ore redemptor.
"Eia agite exhaustos post tot mea turba labores,
postque tot aerumnas mundi, Satanaeque furores,
eia agite electi jam praemia sumite digna,
praemia tot fidei virtutibus exspectata.
Jam tandem liceat nostro considere regno,
alloquioque Dei sine labe et fine potiri,

omne tenere bonum, gignit quod flammeus aether."
Mox aciem flectens turbae de parte sinistra,
majus ubi vultu maerenti confluet agmen.
"Ite igitur, quo vestra vocant opera, ite, profani,
his sua parta salus, vos tanta absistite sede,
ite sub aeternos ignes, malefida propago.
Cum duce Tartareas infra regnate per umbras,
illic perpetuas scelerati exsolvite poenas,
immortale malum, detestandos cruciatus.
Quodvis inferni monstrum desaeviat in vos :
monstrum horrendum, atrox, rabidum, crudele, tremendum."
Sic miseros agitent, ut si Plutona movere
quid queat, heu casus miserari possit acerbos.
Cum Satana injustis haec vita aeterna parata est.
Et sic finis erit : prostratis victor Iesus
hostibus, immenso tradet cum jura parenti,
aeterno aeternos producens ordine soles.
Haec ut certa animis per humum innotescere possint,
nec fructum rapiant tantarum oblivia rerum,
spiritu ab aeterno sacrata volumina luci
tradita sunt, homini quae munera tanta reservant
et doctrina sacri jam spargitur undique verbi,
a quo notitiam visu exhaurimus aperto.
Qualis materna fetus circumdatur alvo,
nutrimenta trahens membris vitaeque parandis,
donec felici maturus solvitur ortu,
luminaque aurati spectat blandissima Solis.
Sic circumsaeptos genitrix Ecclesia, verbi
cognitione Dei nutrit, cur atque fidelis,
donec ad aeternam lucem nos grata vocarint
tempora, ubi vita continget mollius uti,
et divos caeli cum magno auctore tueri.
Id quoque testantur variis mysteria formis,
doctrinae certos verae obsignantia sensus.
Jamdudum resides animos oblivia taetra,
Christe, tui meriti coepissent : rore sacerdos
divino ablueret ni corpora nostra, parentis
heu primi lapsu foede turpata maligno.
Aut ni farre pio, Lenaei et muneris usu,
carne tua et fuso frueremur sanguine, Christe,
cuncta per indignam memorantes saecula mortem.
Haec posuisse sibi fundamina firma necesse est,
qui petit astrigeras invictis passibus arces :
haec via sola animas caeli in penetralia ducit.

## IMPERIORUM ET ECCLESIAE CUM DUPLICI SOLIS MOTU COLLATIO.

P1_09 Qui lumen nitidi carpis spirabile caeli
vitalesque hauris auras, genus ante ferarum
cui datur erectos vultus attollere Olympo
auctorisque Dei sedem spectare supernam,
quae tibi mens ? Quando illustri ratione per axem
providus ingrederis stellis ardentibus aptum ?
Aspice, praecipiti ruit ingens machina lapsu,
sidera tot vulgo pascens convexa, tot orbes.
Fertur in abruptum, qua lucida se exerit Eos,
igneaque Hesperio deducit semita ponto.

Jamque faces cunctas, certa statione revinctas,
et cursu ambiguo palantes aethere summo,
torquet, agens secum rapida vertigine circum.
Longa ruit subitum veluti per inania telum,
quod valido torsit cornu immedicabile Parthus.
Fit fragor, insultant fremitus, striduntque tumultu
omnia terribili : dicas ruere atria caeli,
et ruerent, nisi majestas divina futuros
(hoc metuens) casus fundasset origine tanta.
Verum ne species cunctis foret unica rebus,
omniaque aeternum motu ferrentur eodem,
ne fixus proprio semper sub limine Phoebus,
partem aliquam infenso penitus deperderet aestu
adversique soli plaga, frigore pressa nivali,
nec fruges homini, pecori nec pascua ferret :
addidit omnipotens alios sator ordine cursus,
unde vices melior varias natura teneret.
Emicat effulgens nimbo Sol arduus aureo,
qualis, ubi virides per Cynthi Delia saltus
virgineo comitata choro venit, armaque gestat,
et nitido vultu late supereminet omnes.
Ille diem infundit terrae, tenebrasque nigrantes
pallentes Erebi pedibus contundit ad umbras.
Hinc atque hinc socii stipantes agmina jungunt,
et ducis agglomerant lateri. Mars fervidus una,
Idaliaeque volat Veneri gratissimus ignis,
flammaque Mercurii communis, et humida Luna,
lampade fraterna coalescere cornua gaudens.
Altius ingreditur processu Juppiter udo,
et calido pede versat iter : tum falce recurva,
frigidus incedit genitor, non passibus aequis.
Omnibus idem amor, et placidae concordia mentis.
Leniter adverso mites certamine tendunt,
tempora qua referens Vesper nocturna, rubentes
cursum Memnoneae signat genetricis ad oras.
Annixi torquent gressus, gyroque, resistunt
stridenti aeriae molis durumque furorem
immanesque levant iras revolubilis alti.
Hinc dubio veniunt gratae discrimine luces,
et noctis tepidae somni, mensesque pudica
quos thalami custos sobolis numerabit ad ortum,
quos ipsi agricolae, glebas cum vertere aratro
conveniat, cum fructiferis sua semina campis
sint credenda, dehinc flavis inducere aristis
messorem quando felici Astraea vigore
nuntiet, extremo fugiens quae limine agrestum
cessit, justitiae cernens pia signa per illos.
Hinc ver purpureum, Zephyri hinc spiramine laeto
laxant arva sinus, pictorum germina florum
exsurgunt, speciesque creat vapor humidus omnes.
Spicea sic aestas Cerealia munera profert,
et granum, quod humi exstinctum jam putre latebat,
erigit in blandos jucundo fenore soles,
maturoque coquit sitientes lumine messes.
Succedit gravidus donis Autumnus, et umbra
pampinea innexus frontem, laetissima ducit
praemia, opes divum dono tellure creatas.
Rustica praeduro manuum tunc turba labore

dulce inter nectar potitur, curasque resolvit.
Post, glacialis hiems totum populatur honorem :
dejicit illa nives, nec non cava flumina nectit,
ante focos homines, pecudes ad stramina cogit.
Dira quidem aspectu, sed non minus utilis arvis.
Candida nam vicibus requiescunt aequora gratis,
et sopita foris tepidus per viscera viva
spiritus intus alit, solitumque instaurat ad usum.
Ni faciat, tenui nec caespes prodeat herba.
Hinc gelido Capri sub sidere Cynthius imo
tramite dilapsus, propius vestigia vertit,
atque idem vicina terens sub limine Cancri,
quadrupedes nostro reflectit vertice anhelos.
Hinc Aries ac Libra pares noctisque dieique
evolvunt geminis caeli sub partibus horas.
Denique tot placidus Solis, comitumque suorum
commoda progenerat motus, clarescat ut inde
artificis miranda manus, divina potestas.
At non haec leviter sunt ordine condita nudo.
Aut ita casus agit simplex : latet altior istis,
non indigna oculis pulchrae rationis, imago.
Gens hominum bifido sese discrimine scindit :
imperium duplex, mundi duo sceptra per oras,
dispar praeterea species, atque usus utrisque.
Quippe ita digessit summo pater altus ab aevo.
Ardua pars prima est, condensoque agmine fertur,
inclusi reges, ac tota potentia terrae,
magnanimi heroes, factis praeclara gerendis
nobilitas, ditumque cohors, ac copia vulgi.
Hi sine more, sua pro libertate seruntur ;
cuncta trahunt, retrahuntque simul : furor omnia versat
improbus, exsistunt immanes saepe tumultus,
exitium saevasque minantur fata ruinas.
Vergere ad interitum, casus invadere credas
vitari quos posse neges, melioraque ferri.
Spes cadit, inque dies fervens desaevit Erinys.
Tot caecis subeunt infausta pericula turbis,
quot mare sollicitant Borea insurgente procellae.
At contra placido pulchrum conamine fertur,
aurea gens, divis propior, gens digna favore,
orta polo, despecta solo, contraria primis :
undique per terras humili dispersa caterva,
quam pietas, et rectus amor devinxit in unum.
Obvia consiliis regni se opponit iniquis,
effera coepta regit, justas moderatur habenas,
quod grave, quod durum, divina mitigat arte,
eventu placido casus quoscumque serenat.
Hac sine, fatalis nequeat subsistere mundus ;
haec, columen, rerum e fundo fastigia servat.
Inde oritur certo insistens Spes caelica vultu,
sacra Fides, firmisque ligans Dilectio vinclis.
Addunt se dulces socias, pariterque feruntur,
justitia, amplectens pulchris bona plurima membris.
Omniaque argutis spectans Prudentia ocellis,
nec non, quae varios animorum temperat actus,
fortiter invictas subigit quae in tristia mentes.
Tum vires jungunt solidas, rapidisque resistunt
vorticibus populi effreni. Dumque optimus hac stat

Rex rerum, exiguis numero victoria parta est.
Sic, ubi laudati durum genus Israelis,
Aegypti longa pressum dicione gemebat,
jamque Dei monita impulerant exire, locosque
explorare novos, fragrantem nectare terram,
aerei mellis dono lactisque fluentem,
ibant, promissis fastidia tanta levantes,
ignari superum, jussisque incredula turba.
Saepius horribiles insurrexere tumultus.
Seditio stimulos vulgo malesuada rebelli
injiciens, cladem miseram ac damna aspera movit.
At sacer occurrens Moses, et fidus Aaron,
insignes pietate ambo, meritisque valentes,
auxilium fatis dextrum statuere sinistris.
Apparet species melior, felicius omen :
tranquillis adversa modis sub tuta residunt,
commixtus Furiis placide compescitur ardor.
Sic eadem nostri postquam fors temporis aevo
turbida proterret, fervens furit undique mundus,
pectora tabifico morsu pavor anxia pressat ;
ipsa tamen dextra miserans accurrit amica,
insani generis caecos Ecclesia lapsus
conciliat, portuque infert laetata secundo.
Discite mirandas naturae agnoscere formas.
Nil equidem per humum, summo sine numine factum
tergemini genitoris : eum celebrare perenni
laude decet, votis sanctum Paeana canentes.

## CARMEN DICTUM CUM JAM AUCTORITATE CAESARIS FERDINANDI PRIMI CREARETUR POETA LAURATUS.

P1_10

Nascere festa dies, laeto jam nascere caelo.
Auratas suffuse genas splendore rubenti
matura placidos ad gaudia Lucifer ortus.
Hanc mihi, cum primum dilectae matris ab alvo
auras hausissem vitales, aequus Apollo,
et Musae comites lucem statuere sacratam,
aera mulcentes blandum vario concentu.
Hanc ego, sive agerem Getico deprensus ab hoste,
semper honoratam sollemni munere haberem.
Ecce triumphales jam me sacra praemia lauri
obvelant, serpuntque comas et tempora circum,
lauri victorum decus, atque insignia vatum.
Conspicis illustrem nostra quam fronte coronam,
gymnasio huic, genitus Friderico Caesare Caesar
munus habere dedit, ter Maximus Aemilianus,
atque hac instituit dignos ornare Poetas.
Intermissa diu sed cum sine honore jaceret,
Fernandus numen terrarum, et regius heros,
restituere suos hanc Maxmilianus ad usus,
jamque caput nostrum tanto dignantur honore.
Salvete o priscos imitati utrique parentes,
vestra potens virtus aeterna laude feretur :
hanc imitabuntur gens orta nepote nepotum.
Imperium felix trifidus mirabitur orbis
et nomen tota dignum prae stirpe Quiritum,
perpetuum nomen merito, Fernande, tenebis.

At quae digna tuis referam praeconia factis ?
Dum reficis pressas Maxaemiliane Camenas,
collapsamque pio consensu restituis rem.
Qualis vir Macedo divinum amplexus Homerum est.
Nocte fovens pictis pernota poemata stratis,
deliciasque, ducemque, suum solamen in armis :
talis et ipse sacras clementer respicis artes
totque inter regni curas ea maxima surgit,
instaurare decus Phoebo, Nymphisque novenis.
En erit, ut liceat tua dicere facta Poetis,
Herculeis postquam Thraeisso viribus hosti
congressus, referes patriae victricia signa,
atque canem Scythicum lacerum crudeliter ora,
distortumque manus post terga, ad flebile duces
supplicium : Christi gratabitur undique coetus
et Divi superas resonabunt laudibus auras.
Surge age, surge, dolor justas nunc armet in iras,
certatim sese quisque exhortantur in arma,
fidentes animo forti, atque in utrumque parati :
aut posuisse animam, pulchraeque occumbere morti,
aut turpem infando exitio propellere pestem.
Fata viam invenient, aderitque vocata Dei vis.
Audenti fortuna manus tibi porriget aequas,
proque focis, Christoque tuo nunc proelia surgant.
Proelia nunc surgant, arma armis congrediantur,
Increpitent frameae frameis, rigidi ensibus enses,
projiciant tormenta globos fulgore furentes,
scuta virique cadant, volitent liquido aere tela
grandinis in faciem, gemat horrida quadrupedantum
pulvere tecta acies, sint vulnera dira, necesque,
impetus atque fremor ; reboent immane fragores,
aerea terribili raucedine cornua clangant :
mors sola ante oculos, melior sors ista reposcit.
Vincat amor patriae, pietas, laudumque cupido.
Exorere o tandem miseris tot manibus ultor,
qui Mahometigenam terraque marique latronem,
vi vel fraude potens, noctuque dieque sequaris.
Has petit exsequias varia gens obruta strage.
Ipse ultra Tanaim patriis ejectus ab oris,
funera tot videat numquam sperata suorum,
teque decem nimium horrendum experiatur in armis.
Graecia Tyndaridis si per duo lustra puellae
raptorem bello petiit, delevit et urbem,
quid prohibet pro mille animis, quas improbus una
luce trahens, dirum excruciat, captasve trucidat,
lustra duo, seu dena magis consumere bello ?
Et rabiem indomitam tanti compescere monstri ?
Nimirum haec ea sunt Danielis visa Prophetae :
belua bis denis dum cornibus horrida prodit,
in qua, se facies aperit sub fronte nefanda,
caelitibus certans, blasphemaque jurgia fundens.
Scilicet hic Christum blasphema voce lacessit,
in superos, hominesque furit turpissima Erinys.
Corruat ergo tuis manibus, gemituque cruentam
sternat humum, nec sit tanti plus causa doloris.
Jam Dravum, Savumque undanti sanguine cerno
spumantem, et nostros sua jubila tollere caelo,
propugnatori praeconia laeta ferentes,

jam cecidisse hostes Germanis gentibus unam
Europam atque Asiam fieri Libyamque calentem.
Ismeni, Alphei latices, et pabula Graia
Teutonicus gustat sonipes, via tuta per urbes
infensas, scandunt vates Helicona virentem
et juga Parnassi ; potant Aganippidas undas,
singula mirantur, gaudentque in imagine rerum,
quas vatum prius e scriptis hausere legentes.
Carmina sola tuae laudes, tuaque inclita virtus,
qua tantis meritum officiis, de sede paterna,
extollent, astrisque deum sublimibus addent.
Tu vero surgens florentibus integer annis,
Carole, magnanimum heroum decus atque parentis
optima spes, dulcis doctrinae munera grata
qui tantos fervore foves, et mitia castra
Palladis ingressus, te exerces aequore aperto,
perge viam, nec cede malis, audentior ito,
ac juga virtutum victrici mente capesse.
Viribus huc totis, vasto huc molimine tende :
quod grave nunc opus est, erit exoptata voluptas.
Nescio quid de te laeti praesagia nostris
offundant animis. Velut auguror, ille futurus
Carolus es, magni rector justissimus orbis ;
imperium fratri sero qui debilis aevo
tradidit, et rerum jam sponte reliquit habenas,
post tantum nomen partum praestantibus ausis.
Haec super imposita nobis Daphneide lauro,
sit cecinisse satis : vos o vos robora menti
sufficite Aonides, quibus olim carmine docto
exsurgam, liceatque virum volitare per ora,
hoc tanto in numero tamen haud extrema terenti.
At vos heroes, dictis qui advertitis aures,
Princeps Palladii imperii celeberrime Edere,
vosque alii quos ornat honor virtutibus amplis,
accipite haec animis juvenilia dicta serenis,
surgentemque novo afflatu defendite vatem.
At qui, Mome, lates, carpendi percitus oestro,
qui nostro infelix (dirum) marcescis honore,
dente Theonino qui pessimus optima carpis,
carpe recens coeptum, rumpantur ut ilia, carpe,
haec tamen ut spectes animo indignante necesse est ;
et mox Ibis eris, foedo si gutture latras,
et te digna manet quae mansit poena Lycamben,
perpetuum nomen sic Zoile foede tenebis.

VOX CHRISTI AD MORTALES PLENA GRATIAE, ANTE DIEM JUDICII.

P1_11
Immani quid enim juvat indulgere dolori ?
Nec subit in mentem, meriti quae praemia nostri ?
Maturate viam, stimulis quos dira suburget
vis Erebi, terretque infrendens janitor Orci.
Ardentes quos cura coquit, luctusque, pavorque,
aut Stygius princeps deludit imagine falsa,
regnorum immemores caeli, propriaeque salutis.
Mutandae sedes : non haec mortalia sceptra
gens te caeca manent, aut his considere terris
aeternum data fata jubent. Melioribus annis

quin mecum celso posthac domineris Olympo.
Tu modo pone animum nil tantae sortis egentem.
Ecce manus, vasti sociantes foedera mundi,
assuetosque pedes rutilas substernere stellas,
ut maculent tabo priscum fluitante decorem.
Quod caput ingentes nutu molitur habenas,
contextas portat saeva ad ludibria spinas,
ambrosiaeque comae divino vertice vulsae.
Ora serenatum terris reddentia caelum,
tunsa rigent pugnis, turgescunt lumina fletu,
lumina, et abstrusi latebras rimantia cordis.
Mens, quam nulla umquam rerum prudentia fugit,
luditur, et dictis miserum mordetur iniquis.
Respice, pectus hians immani vulnere, apertum
erga mortales aegros testatur amorem :
solus hic inflexit memet descendere ab astris.
Ceu quondam aerio suspensus stipite serpens,
dat lucem tabe infectis, reficitque tuentes,
ne mors atra animas sub tristia Tartara mittat ;
talis ego affixus celsa trabe, sparsa venenis
corda levo Stygiis, ac lumina morte resigno,
dum me perlustrant crudelia vulnera passi.
Immemorem facti veteris nova gratia patrem
demulcet, vitamque offert renovata perennem.
Pax animos intrat lassos, et nubila pellit.
Sceptriger inferni cum terrifico comitatu,
victorem late loca per Cocytia sensit,
et nunc indignans perfert immania vincla.
Felices redeunt anni, caelestia regna,
nulla ubi venturos noverunt tempora fines :
solus amor vestri tot ferre indigna subegit.
Me sequere e duro certamine mortis euntem,
nec trepida nostram cervici imponere molem,
ferre jugum, quo non levius per colla recumbit.
Disce viam ad caelos ex me verumque laborem.
Non (ut rere) meo considit pectore fastus,
turbam humilem regnis cupidus prohibere supernis ;
sed mitis bonitas haec per praecordia flagrat,
omnes alliciens : nil quicquam tale merenti
obtrudens homini vitas et gaudia divum.
Quicquid erit, superare licet ; me me duce gressum
corripite, infractique animos offerte periclis,
nam brevia, et rabie non sunt nocitura minarum.
Deliciae fragiles, Sirenum murmure blando,
oblitos aevi melioris Averna per alta
detrudunt, onerantque aeterno gaudia luctu.
Utque sub aestatem primam frondentia rident
germina, perque solum jam formosissimus annus ;
mox canae reditu brumae, jucundus in auras
vanescit vigor, ac facies tristissima surgit,
haud secus, aetherei spirat dum gratia verbi,
omnia per terras rident secura ; sed illud
auferet atra dies, supremo examine crimen
vestigans. Tum vero horror, tunc ibit in ignes
turba nocens mundi, tantum aspernata favorem,
quo ductus, patrii reserabam limina regni.
Solus amor vestri tot ferre indigna subegit.
Ergo agite ad monitus conversi lumina tantos,

ferte gradum propere : patrias exquirite sedes,
posthabito rerum vano splendore venite.
Justitiae scatebras sitientia corda venite.
Hic domus et patria est, generis qua maximus auctor
subnixus solio stellanti temperat orbem.
Quos labor irrequietus agit, pondusque malignum
urget humi pronos, requies hic certa, venite.
Tollite quisque jugum, me angusto calle sequentes.
Est iter ad regem, polluto foedere qui vos
excussit celso imperio, quo sanguine sacro
quaesiti tandem reditus. Simul ite frequentes :
nemo ex hoc numero mihi non servatus abibit.
Dum sinit hora fugax, dona haec captate : priusquam
gratia se indigno de corde avertit, et aufert.
Vita vigens, homini divum penetralia pandit,
horrida mors eadem ferrato vecte recludit,
objicibusque ambit solido ex adamante retortis.
Jungite amicitias, amplexus, oscula ferte
fraterna, et socios spretae vos addite genti.
Si genus invisum jam nunc, si vilia sceptra
temnitis, atque nefas solum est mea signa tueri,
at sperate Deum memorem, ultoremque tremendum.
Hoc coram, laeto vos detestabor in aevo,
abjurans, vestrique negans miserabile nomen.
Spectabunt alata phalanx, devota beatis
caelicolum choreis ; spectabunt aethere pulsos,
qui per mundum animis dudum incessere superbis.
Quin igitur laevo mecum reflectite portu,
qua via Tartarei ducens Phlegethontis ad undas,
pectora suppliciis miserorum improvida turbat.
Tendite magnanimi tot per discrimina mecum,
ad laetos superum coetus. Utque ardua lustra
tutius intretis, vires sperate supernas.
Accincti verbo casum superabitis omnem :
hoc gressus dubios regat, ac vestigia firmet.
Cernitis extremam signent quae munera metam ?
Et tamen attoniti spatio insudare negatis ?
En, pater ipse manum sacram protendit, anhelos
excipiens, regnique locans in parte : cohortes
aetheriae inclamant, studiis plausuque faventes.
Ferte viam celeres, ad gaudia parta venite.
Ut fluitans quondam sopito cymba magistro,
errabat pulsata fretis, et turbine nigro,
jam jamque assimilis demersae, aestuque solutae ;
me tamen excito, per aquas interrita fertur,
et servata malis, pleno subit ostia velo.
Sic, classi addixit sese quicumque meorum,
ac durans timido festinat in ultima cursu ;
auxilio evadet nostro, tutusque tenebit
quos optat portus, ubi palmae gloria surget,
cui non ipse modum, nec rerum tempora pono.
Hunc petite, o properi, portum, mea turba, venite.

## IN NUPTIIS ALFONSI DUCIS FERRARIAE
## CUM BARBARA DIVI FERDINANDI I. IMPERATORIS FILIA

P1_12 v.1 In mare ter denos qui fluctus vortice torquet

fluviorum rex, Eridanus, sese extulit alveo ;
propter aquas, miseri casum Phaethontis, et inde
tempora dinumerans rerum, ac volventia fata.
Stant circa Dryades, multum quas paenitet, alnos
proceras teneram formam mutasse sororum,
et molli pluma fratrem duxisse senectam,
solantem curas longo per inania cantu.
Ecce aliud visu objicitur, spes certa futuri,
namque duae subito pennis in nubila surgunt
e ripis aquilae, perplexosque orbibus orbes
impediunt, celerique fuga nituntur ad Arctos.
Illic per tractus liquidos Jovis armiger ales
librabat pulchros artus, sociasque volantes
agnovit, lateri agglomerans : mox pace feruntur
unanimi, et pariter capita inter sidera condunt.
Felix augurium senior divosque salutat.
"Imo, ait, haec rebar ventura, Alfonse, sub auras,
Alfonse egregium Latii decus, inclita patrum
gloria, queis ducibus fama super aethera nota
jam mecum multos annos Ferraria gaudet.
Quae prima expediam, quae deinceps ordine pandam ?
Tune Alfonsus eris quem numina magna volebant ?
En quae Germanis fortissima pectora ab oris,
terrarumque aliis de partibus ad tua regna
descendent, visuri omnes ingentia honorum
praemia : Caesareo postquam de stemate Nympha
amplexus petet aequa tuos, dulcesque hymenaeos.
Salve, Fernandi splendor, veneranda virago,
cui mentem insinuans Divum pulcherrima Virtus
obsedit, jussitque suam dediscere totos
omnigenum vitiorum aestus, puramque nitere,
ceu roseo incedens per sudum Lucifer ortu.
Cui mores ultraque et membra decora juventae,
ipsa tot illustres Natura industria dotes
concessit, nostro quot volvimus aequore pisces,
quotve avium resonant vicinos milia saltus.
Huc ades, o princeps divino munere pacis
Mavortisque potens studio, tibi ducitur uxor,
non indigna toro tanto, tu dignus et ipsa.
Incipe transvectam blando cognoscere risu,
omen laetitiae, et longum durantis amoris.
Hanc quibus auspiciis urbem se attollere cernes,
Herculeamque domum ? Dum tanta potentia magnorum
Austriacum vires renovat, jungitque volentem.
Ut placide ostentat conceptas pectore flammas
Romulidum imperii ter maximus Aemilianus
arbiter ? Horrentes Scythiae qui versus in hostes
pro patriis aris, ac libertate suorum,
aeternas laudes victriciaque arma reportat.
Quantum Fernandus contracto foedere sponsae
gaudet ovans ? Turcis notum et lacrimabile nomen.
Quem sese ore refert spes optima stirpis avitae
Carolus ? Atque alii mollis quibus obstitit aetas.
O decus, et partum nostris per saecula foedus.
Spargite humum teneris viridantia floribus arva,
Idaliasque rosas, et vivaces amaranthos,
narcissique ignem pedibus submittite Nymphae.
At vos caelicolae, queis terra Oenotria curae,

tuque harum imprimis rerum Saturnia Juno
inventrix, meritum coeptis advertite numen,
felicique sacros vinclo constringite amantes.
Ut tenera in viridi vitis se subjicit ulmo,
et gravidos fetus roburque acquirit in horas,
sic pia fatalis duplicentur gaudia taedae,
atque herous amor grandaevos crescat in annos.
Ut reduci tellus sumit sub vere decorem,
producitque suos uberrima germina natos,
germina multiplices populis servanda sub usus :
sic thalamo exsurgat proles, virtute futura
egregia, atque ortus caelo praeest antibus ausis
inserat, immensumque labanti serviat orbi.
Nulla dies pacem generi, sociataque rumpat
vincula, nulla dies in pejus coepta reflectat,
sed meliora magis semper magis omnia vertat.
Sic placitum, sic relligio jubet aetheris alti.
Haec eadem stabili firmantes omine Parcae
jamdudum voluere suos praetexere fusos."
His dictis urnam genitor capit, imaque fontis
tecta subintrat, agens spumantes undique gyros,
praecipitatque moras, fluvium ad vada salsa relaxans.
Vicini colles grato clamore resultant,
aurea felices o vivite saecula amantes.

### IN HONOREM CAROLI SIGONII. ORATORIS PATAVINI. ACRON.

P1_13

Medoacus thalamo cunctantem in margine ripae
Auroram exspectans, udas haec Naiadas inter
et faciles rauca fundebat voce Napaeas.
Per volucres illas varia quae fronde residunt,
et diva gaudent surgente, diemque salutant,
una mihi reliquas superat Philomela canendo,
dum Terei fraudem, patriasque recenset Athenas.
Sic bonus ipse alios longe supereminet Acron.
Seu res priscorum, nostri seu temporis acta
commemorat, calamo permulcens flumina nostra.
Nemo sub Euganeis certet tibi montibus, Acron.
O quoties ipsum recubantem gramine nostro,
miratae audierunt Charites, ternisque legentes
diversos flores calathis, arcana dederunt
munera ; tum nostrae (quia deduxistis ad aures
partem aliquam venti) requierunt murmura lymphae,
nec memor ipse mei lente picta arva secabam.
Dedecori est viduis arescens uva racemis,
vallibus absentes herbae, altis montibus umbrae,
mortua culta satis, exstinctae fontibus undae ;
at mihi si (quod fata vetent) gratissimus Acron
his abeat terris, una decor omnis abibit,
atque aliquis nostro quondam detentus in ervo,
jam rediens, quid non subvertunt diceret anni,
hic quoque Medoacus majori fluxerat alveo.
Splendida queis caelo Mutine te laudibus aequem ?
Italidum Mutine Nympharum gloria, talem
ad nostros fines quianam transmittis alumnum.
Credo equidem Geniumve loci, celebresve sepulti
haec eadem ut faceres monuisse Antenoris umbras.

Vidi ego, dum genitor me tecta in lata vocasset
Adria, sollicitas spumanti marmore natas
vestigare oculis incognita praemia gemmas,
cum pater instaret : "Nunc nunc lustrate, puellae,
dona gerat vestris inventa laboribus Acron.
Scilicet aequoreos candens velut Unio praestat
per campos, quem rore levi, caeloque sereno
luxurians mater, purum produxit honorem :
non secus hoc uno se omnis vicinia jactat,
quam docto cantu et multo candore decorat.
Rhene, quid invidia languescis ? Sint mihi dona
haec propria. Acronem quid enim sub rura vocari
sentio, Felsineam qua tu perlaberis urbem ?
Desine spes nostras et gaudia tollere, Rhene.
Invenias alios, te te fastidiat Acron."
Dixerat, et cantu vidit fluvium tardari ;
ergo urnam capiens, mediis se reddidit undis,
agmineque ad portus dulci contendit amaros.

## GEORGIO ANDREAE LIBERO BARONI IN HERBERSTAIN ETC. ROMAE DEFUNCTO.

P1_14
Qualis, ubi mater protrudens germina tellus
vere novo, circum mirando fundit amictu.
Seu violas humiles, seu plorantes Hyacinthos,
pollice crudeli cultor metit improbus horti,
ut praedam ante oculos victor deponat heriles,
sic te, quem generis primum natura decore,
hinc studiis, ac virtutum velarat amictu
insolito irradians, mors, heu, mors horrida nobis
per Latium eripuit, primo sub flore juventae
et rerum domino stellata tradidit arce,
fragrantem ante alios vera pietate, Georgi.
Heu sors crudelis, crudelis tu quoque Roma,
Thybri pater nimium infesto crudelis in amne.
Vix urbem speratam adiit, laetusque viarum,
pectore versabat vestigia prisca Quiritum
magnanimum, totos disponens ordine montes,
et quodcumque viget rerum genus antiquarum.
Nunc et Parthenopen, Cumas, Baias, celebresque
Puteolos, fati pro nescius. Invida tergo
prosilit, ac miseros febris depascitur artus.
Non ultra Musae, validaeque Machaonis artes,
nec probitas, nec sancta fides, laudataque virtus,
nec decus aetatis tenerae abstraxere dolori.
Labitur, atque animam superas exhalat in auras.
O dolor, o decus, o nulli sperande tuorum.
At nobis nomen miserum, et sine sanguine corpus
linquitur, ingenti devictum lumina nocte.
Quicquid id est, memorande heros, dum sic tua fata
dumque illic vitae dulcis tibi terminus haesit ;
nos, tristes lacrimas, atque ultima vota per orbem
incassum angusto perculsi corde ciemus.
Nec sat erit : lux illa mali, lux foeta dolorum,
quae tete eripuit, semper sit feta dolorum,
ac semper lacrimas et inania vota ciebit,
cernere donec erit lucem omnipotentis Olympi.
Quin Romae nostros longum testantia luctus

carmina mittantur tumulo, quae sera minores
admoneant casuque tui, faciantque dolere,
o dolor, o decus, o nulli sperande tuorum.

## EPITAPHIUM EJUSDEM.

P1_15

Tuque adeo pro me lamenta indigna viator
deponas ; animoque magis miseratus ab imo,
disce tuam propius cum fletu expendere sortem.
Nam veluti primum lacrimoso ubi nasceris ortu,
indutus radiantem animam compage caduca,
continuo omnigenum simulacra horrenda malorum
insurgunt, hebetantque annexo corpore mentem :
tot variis subigunt stimulis, varioque laborum
assultu, ut vitae donum ac mortalia quaeque,
sint dolor, et curae, terror, suspiria, fletus.
Sic ubi tardanti me exsolvit corpore fatum,
excessere simul curae, lacrimaeque dolorque ;
nec diam moles caligat terrea mentem,
sed totus simplex cuncta haec mortalia temno.
Interea exspecto placida spe tempora lucis
volvendae, quae membra mihi immortalia nectat,
membra modis Christi ante oculos fulgentia miris.

## VENETORUM DUCUM HISTORIA EX PETRO MARCELLO ET MARCO ANTONIO SABELLICO.
## PROTEUS.

P1_16

Qui numerat turpes Neptuni in gurgite Phocas,
et casus pelagi, terrarum, atque omnia novit
Carpathius senior, longinqua per aequora portus
antiquorum Henetum, fesso e delphine videbat,
dum rumore novo, gentis sub litora tendit
Ausoniae, miserum quam barbara bella premebant.
Jamque diem obstructo vesper claudebat Olympo,
invadunt tumidum venti mare, fluctibus atris
miscentes ; sequitur multa cum grandine nimbus,
et Lunam eripiens tempestas caeca recondit.
Ilicet ex undis, vates, quae proxima terra
contendit petere ac fidas advertitur oras
qua prona excisae fundamina rupis in antro
Hadria caeruleus vario molitus honore,
tectum ingens posuit, saeclis decora alta futuris ;
jamque tenens sua regna, deas moderatur, et udos
Tritones, lateque sonantem temperat aulam.
Viderat hunc foribus subeuntem, atque arva secantem
humida per nimbos, Nympharum sanguinis una,
et gressum celerans penetralia ad alta, reportat,
liminibus divi ignotam succedere formam,
qui vada delphino vectore horrentia lustret.
Distinctam genitor lucentibus undique baccis
induitur Chlamydem, et glauco velamine frontem,
obvius ire parans. Veterem mox Protea amicum
agnoscit, multamque animo gratatus inhaeret,
et madidum ducens spumosam laetus in arcem,
solatur dictis, longo post tempore visum.
Tum specus interior studiis ac divite luxu

instruitur : centum longo stant ordine natae,
ornamenta patris tanti, quas ocius omnes
increpuit, curare penum, numenque vereri
Neptuno imprimis gratum, et nitidae Amphitritae.
Accingunt faciles operi : pars ponere mensas,
ferre laboratam Cererem, donumque Lyaei,
et siccare imbres, flammisque adolere penates.
Expromunt aliae toto quae marmore Nereus
cumque tulit. Prunas sternunt, et viscera torrent.
Hae dulces fontes, mantilia picta ministrant,
inducuntque toros ostro, cava pocula sistunt,
et lances onerant. Discursu regia fervet.
Interea senior vatem per singula ducens,
hospitium antiquum regnataque jugera monstrat,
diversos caveaeque aditus, omnesque recessus,
fluminaque e vario subterlabentia tractu.
Mille alios secum vasto stridore trahebat
corniger Eridanus, merso Phaethonte superbus.
Hinc Athesis praeceps, Silis, viridisque Salinus,
incurvus Muso, Sapisque adjunctus Isauro,
et clade infaustum contorquens Anfidus amnem,
Medoacus choreis Musarum acceptus, Anaxus,
atque Antenorei diversa fluenta Timavi.
Infensusque armis Rubicon volat agmine parvo,
multi praeterea. Dapibus sed rite paratis,
abstinuere ambo, versique sub intima retro,
componunt sese mensis, ac corpora curant
aetherio latice, Ambrosiaque epulantur opima.
Nec non spumantis sternunt se plurima ponti
numina, mirantur vultusque et verba loquentis.
At Deus ipse loci tacito cum corde putabat
multa, recognoscens populorum fata suorum,
disjectas urbes, latisque incendia campis.
Ut te post caedes, inquit, tantosque furores,
externi generis, vates, videoque lubensque
accipio ? Scis ipse quidem, quanta horrida nostris
tempestas ierit terris, bacchata tot annos :
urbs orbis domitrix infensa ut senserit arma,
bisque triumphatos deflerit languida cives.
Quos tandem luctus immanibus edidit ausis
Saturni per regna, Jovis crudele flagellum
Mandluci gnatus ? Caelestum nominis atrox
contemptor, quae finis erit, quaeve ultima restant ?
Quod, ni fatorum vetat inviolabilis ordo,
dic tamen, o hospes, paucisque oracla retexe.
Ille satur rerum positarum, almique liquoris,
sic adeo cunctis intentis institit ore.
Felix ante alios vastum regnator aquarum,
nam tibi quae surgant animo ? Tua si bona noris,
immoto superum nutu ventura sub auras.
Pauca feram e tantis : firmet post exitus ingens.
Saeviat his quamquam longum Mars impius oris,
atque alia ex aliis crudescant proelia passim ;
non tamen arma tuis fatis invisa nocebunt,
sed fama ingenti prodetur gloria victrix.
Quam tu urbem pater hanc cernes ? Quas surgere fundo
ex imo moles ? Ubi nunc formidine tristi
primorum manus, hospitiis expulsa paternis,

Matres atque viri, per salsi jugera fluctus
convenere : sibi, et fessis magalia rebus
ponentes, musco tenui, cannaque palustri.
Exilium pulchra pro libertate pacisci
duxerunt satius, juga quam subiisse latronum.
Fortunati omnes ! Neque enim levis inde feretur
vester honos (mihi si ulla fides) per saecla minorum.
Nam quos hinc populos, olim, victricia signa,
virtutesque, viros, mores, sanctumque senatum,
perque salum domitumque solum latissima sceptra
expediam ? Non ulla tibi quae aequare canendo
vox valeat : certis aderunt sed singula metis.
Tunc aliquis memorans prima incunabula gentis,
aut Deus, aut referens longinquas navita merces,
dicet : "In Adriacis hanc ipsam saltibus urbem,
orbis opus, procerum Italiae collecta propago
erexit, caedem evadens, turpemque tyrannum,
et stirpi longum venturae haec otia fecit.
Salvete o fidi cineres, et sacra parentum
nomina ! Sic meritis sint vobis lustra beata
Elysii nemoris, fontesque, aeterna voluptas.
Sed cur transierim tot saevis oppida capta
viribus ? Aut arte imperio supposta sagaci ?
Illa velit qui scire, velit numerarier idem,
quot feriant fluctus iratis hoc mare ventis ;
cum tamen interea haec domitrix, ab origine summa
non villis labefacta minis, discrimine nullo,
sit dominos reges perpessa, aut extera jura.
Namque gubernandi proprio confisa tenore,
in tantum infreno caput altum robore tollet,
quantum alii sperare nefas. Quippe inclita legum
sanctarum series, et vulgi aequata voluntas,
cordaque magnorum nullis non obvia patrum
casibus, eque omni vigilans res publica parte,
hoc illi decus excellens, has addere vires.
Non ego tot memori sermone evolvere possim
egregias animas, heroumque ardua facta,
qui patriae famam illaesam, dulcemque salutem
posthabitis coluere suis, et lucis amore.
Nec mihi sit longe propiora retexere curae,
ut status hic rerum, capiunt quo jura Tribuni
annua, commissam jussi defendere gentem,
consulere, et scelerum justas exsolvere poenas,
durabit cursu immoto, Titania donec
bis centum totos terdenis orbibus orbes
complerit lampas, sua per vestigia curvo
tramite se impediens. Paulatim exorta per ipsos
tunc formae antiquae mittet discordia finem,
exitiosa quidem, ni gnara occurreret aetas.
Protinus excitos populosa Heraclia cives
concilio coget : sacris de more litatis,
excutitur, quae causa bonis communibus obstet,
qua detur patriam superacta arcere ruina."
Assensere omnes, regnis ingentibus unum
praeficere, atque uni totas imponere curas :
qui divino animo praestans, moderamine certo
et premere indignos sciret, dignosque levare,
et cunctos rerum magnarum expendere casus,

immemor haud umquam patriae, Venetique decoris.
Dii quale imperium, virtus, et nomina quanta ?
- Justitia et pietate Ducis te munia primum
Pauluti excipient, praeclari tu agminis auctor.
Gens fera jam misso certamine Longobardum,
insultu frustra tentato, foedera junget,
mirati internos subito cessisse furores.
Insuper a sceptris alii diversa secuti,
haud numero exigui, tanto se praeside rursus
adjungent socios, et jussa priora capessent.
- Proximus huic parta Marcellus pace fruetur :
quam vellet rigido Mavorte ostendere dextram ?
- Insequitur pressae permotus ad aequa Ravennae
subsidia, atque Gradi vexati tutor Hipatus.
Is nimio exsurgens fastu, civilia cernet
proelia, conversam cognata in viscera pubem.
Mox odio digno (multi quia causa doloris)
supplicia ipse suis inimico sanguine solvet.
Ergo post sparsos ultrici caede penates,
itur Medoaci ad sedem : polluta vacabunt
hospitia, atque Ducum libuit subvertere normam.
Militiae statuere loco dominante Magistrum,
qui ferat augustum, ponatque, insigne quotannis.
Quattuor hic coepto cedentes ordine vidi :
ultimus at sceptris effosso lumine ademptis,
post se mutari titulos in pristina sentit.
- Principis exceptus solio jam filius Ursi,
ad rapidum Plavem, fines exstare quietos
cum turba hostili pepigit ; sed crimine falso
(suspectam multa quianam vi muniit arcem)
ereptosque oculos, raptum miserandus honorem
plorabit. - Nec tu longum laetabere Galla ;
credo equidem, simili post orsa immania more
hausurum poenas : haec fraudi praemia sunto.
- Incedit praeceps animi, vultuque feroci,
cui paribus gemini curis vestigia figunt
rectores. Sed nil naturae fixa malignae
semina mitescent cultu. Terebrabere frontem,
claraque nequiquam Moneagri sidera quaeres.
- Tum meritis populoque gravem plaudente videbis
adjuncto (insuetum) tractare ea munia nato,
et patrio jussu bellantem arcere Pipinum :
felix morte tua genitor. - Natumque nepotemque
exilio mutare solum non ipse superstes
spectabis, quoniam tua nusquam exempla secuti,
praesulis insonti maculabunt saxa cruore
regnantes, vulgique asperrima corda movebunt.
- Tunc rerum summam fugitive Obelere teneto,
nec propere pulsum mirator cedere fratrem.
Ast pia magnanimi celebretur cura Valentis,
dum pavidam hospitio Rivi cognominis Alti
traducit gentem, venientis ab agmine Galli.
Purpureas video spumas fucare profundum,
multaque divulso submergi corpora ponte,
induci cladem miseram, dum laudis amore
hi pugnam accendunt, multaeque cupidine praedae ;
illi autem instigant contra, prolemque laremque
fefendunt : vires poscit labor ultimus omnes.

Donec felicem patriae victoria Martem
annuerit, parvasque acies ad sicca vocarit
crudeli mentem turbatus strage Pipinus.
Hic demum sese melius primordia sument,
eque mari aequabit picti fastigia caeli
major honos, ausisque manus spectata superbis.
Haec mirere senex : hic incrementa videbis.
Ac veluti, muros fixa quos transiit hasta
infelix juvenis (prohibent nam ignoscere leges)
ingenti spatio, despectae ex aggere fossae,
septem turritos nunc apti includere montes,
admiranda patent totis spectacula terris :
haud aliter tua gens hic vasta crescet opum vi,
scilicet immensi longe pulcherrima mundi.
- En igitur totus collucens murice et auro
Angelus, Heracliae fumantia culmina fundo
instaurat, procul inde vagum dispersa per aequor
oppida conglomerans, sceptra ad communia prolem
eliget alternis. Caesa cervice rebelles
mulctabit. Posthaec fundens Aquilegia signa
captivo specimen gratum super hoste reponet.
Longa dies factum, mactato corpore tauri
cum grege saetigero, castellaque diruta servent.
- Quis chorus ecce autem tibi, Justiniane, faventum ?
Tune igitur dono ingenti laudabere divum ?
Namque a Pellaeo solventes litore nautas,
magnum non nullis numen vectare periclis
prospicio. Pietas o quae, sacrumve, Deusve ?
Obvia procedit legio juvenumque patrumque,
condensae gremiis involvunt pignora matres,
humida depictis sulcantes arva phaselis.
Ante Sacerdotum gratanti carmine pompa,
ingeminant laudes, atque immortalia vota :
Marce, decus caeli, cui jam venerabile corpus
inferimus, gaudens invicto Marce Leone,
huc sanctos transfer manes : hic munera ad aras,
templaque de solido statuemus marmore, et auro,
servantes nostro aeternum tua nomina regno.
Haec laeto resonant plausu, feretrumque sacratum
suppliciter cuncti manibus contingere gaudent.
At superum pignus voto posuere sacello :
Numen inexhaustum fama, atque insignibus orsis.
- Tu vero, templi fundator maxime, pulso
malueris numquam patriae rediisse Caroso.
Incautum pietas fallet, populatus honestam
caesariem, barbae decus, exuviasque : recedes
dejectus. - Veniet porro infelicibus armis
Massylum in rigidam classem Tradonicus usus.
Maurusis Croto portus male fide carinis,
quot galeas, et scuta, virosque in gurgite volves ?
Nec levis urbe dolor media, dum turpis in ipsos
perfurit Alecto cives. Quin aspicit aeger
innocuo populus lapsantem sanguine patrem.
- Tales post motus, Saracenis impiger Ursus
vela fugae vertet, socias praedantibus oras :
inque Narentarum perjuria saeviet ultor.
- Mollia quid tandem detrectas frena Comaclum ?
Nec rabiem a tergo gliscentem instare tremiscis,

dum pius insequitur Badoari funera frater.
Nec te etiam immunem pestis lacrimosa Ravennam
praeterit, his quoniam ingemuit fera vulnera campis.
- Illi suasit amor patriae deducere puppes,
atque Narentanas dextra prohibere rapinas.
Deseret audentem Fortuna. Immania circum
agmina proturbans, tantis congressibus impar
concidet, illa sui monumenta perennia linquens.
- Murorum studiis tutis operata juventus,
aedificant saxisque alte tractisque catenis
conatu insigni nova propugnacula jungunt.
Instate ardentes, nam quantus frigore nunc nunc
Riphaeo globus exundans, suprema minatur
excidia ? Intrepidi vim duram promite : non hic
imbellis praedo, fugiensve in limine Gallus,
sed praedura cohors, neglectae prodiga vitae,
More ferae silvis ac furto assueta : cruentis
artubus, et tabo caesorum vescitur atro.
Europae totos passim lugentis acervos
oppetere agnosco, laniataque corpora ventris
explere ingluviem. Jam carae conjugis esto
quisque memor, lucisque extremae. Eia ipsa referte
facta patrum, quibus haec Scythiae foedissima monstra
olim Pannonios servati egere sub agros.
Hinc sperate viri laudem : superabitis omnes
eventus indefessi terramque labantem
Ausonidum meritis solis consurgere vestrum
dicetur. Grati recolent ea cuncta minores.
- Inde pater juvenem Graia tellure, potitum
muneribus titulisque, sinus penetrare dolebit
non posse Illyricos, sed partis, sidere laevo
exutum, aspectus optatos multa morari.
- Connubiis sua pulchra novis solamina matres
turicremas laeto jam sistunt ordine ad aras,
et cupida exhilarat languentum pectora amantum.
Ecce inimicus atrox ipsa ad delubra deorum
Ister adest, sacra perrumpens : ante ora parentum
devotas spoliis multis (miserabile) nuptas
eripit, atque fuga celeri vada caerula verrit.
Quis dolor, unde salus, aut spes trepidae addita turbae ?
Densa phalanx sectata ducem ruit impete facto,
versaque sollicitant remis freta, donec iniquam
ducentes sortem, per stagna inopina prehensos
invadunt furiis justis. Sternuntur ad unum
corpora raptorum foedis projecta lacunis.
Restituunt praedas acri virtute receptas,
cuique suam ; et ludos raptis sine more puellis
adjiciunt, apto Mariarum nomine dictos.
Quin etiam devicti hostes solemnia centum
vina cadis onerant, et jam parere fatentur.
- Evasit leto tandem, violentaque fugit
vincula, ab Illyrico detentus carcere ; Achivum
amissis opibus, repetit natalia regna,
et toto applausu sublustri in sede locatur.
Qualis ubi oppositas nubes caligine spissa
post tergum Veneris linquens pulcherrima flamma,
per sudum agricolis operosis mane refulget.
Dira Narentanum legio maris obsidet aestum,

ausa, metu incusso, largas avertere gazas.
Illi Martem acuunt, animis subit ira pudorque,
nec requies donec perculsa mente catervae
orantes pacem, populatas crebra rapinas
huc revehant : et quae fuerint dispendia totae
persolvant. Exinde Aquilegia foedera firmans,
internosque pio componens pectore motus,
lugubris genitor labentia lumina claudit
ob nati turpes furias, atque effera coepta.
- Hunc vero extorrem, sceptris ignobile vulgus
contra jussa patrum revocat, qui deinde secutus
altera connubia, antiquos exosus amores,
divitiis potitur, scelerumque indulget habenis.
Quo non fertur, opum largus ? Scit triste Opitergi
exitium, indignansque suos Ferraria fines.
At fessi demum cives furialibus ausis,
ipsum ad supplicium converso corde reposcunt.
Tutantur pavidum imprimis immania tecta,
et medio aulai sumptis stans miles in armis.
Jamque faces ad summa volant fastigia vento,
perque sacros veterum postes Vulcania strages
ingruit, et magis atque magis depascitur omnia.
Eheu crudeles, satis est, nunc parcite flammae :
parcite divino cineri, bustoque verendo,
fatalis templi foribus. Nam maximus hic est,
sospite quo Divo, fortuna erit integra regno,
quo laeso, fractae vires, aversa potestas.
Attonitus mentem visis, ruit ille recedens
et miser urgentes a tergo respicit ignes,
vestibuloque ipso diram intentantia mortem
agmina. Versanti varia, haec sententia sedit.
Infantem fugiens patriis amplectitur ulnis,
et prae se portans comitem vitaeve necisve,
ad circumfusos haec verba novissima fundit.
O si qua est pietas vestrum, miserescite sontis,
et quondam patri vitam donate vocato.
Aut si nil mereor, liceat superesse periclo
hanc animam saltem, tenerum sine crimine pectus :
o cohibete iras socii, ac letalia tela.
His dictis, multo laniatus vulnere terrae
corruit, innocuumque exsangui pectore pignus
sustentans, miserae sobolis, proprioque cruore
volvitur, et duplices vitas exspirat eodem
amplexu ; saevitque canum latratus in auras,
dum rabido carpunt dilapsa cadavera morsu.
- Invito post cura datur. Non laudis egentem
hunc populi fasces flexere, et vana cupido ;
sed patriae pietas, ac servantissima justi
corda. Superfusis disjectas ignibus arces
attollit miserans adytisque instaurat honorem,
servatum numen sistens in sede refecta.
- Ipse urbem Barii Maurusia signa trementis
defensam dabit, ac palmae inter praemia ducet :
stirpis et infensae fastus multa arte domabit.
Tum mentem afflatus dio spiramine, sortem
mortalem exuitur : superum se devovet aris,
et solos tractat terreno in pondere divos.
- Quin tu tolle minas, hinc jam obliviscere caesos,

insontem puerum, foedatique ora parentis
acer Otho : profugus dum dulcia limina praesul
intrat, et immiti permotum funere placat.
Libertas equidem tristes sub pectore vertit
hos stimulos, poterunt utcumque ignoscere manes.
- Nec vero arridet tacito fors candida Memo :
quandoquidem saevos Caloprini sanguinis aestus
compita per, trepidasque domos expertus, acerbam
insinuare famem, aversi lugebit Othonis
obliqua invidia, vulgatisque undique jussis.
Sed formidatus leti annumerabitur umbris,
et populum inflictis terroribus iste levabit.
- Martius Argolico pollens Nilique favore
Urseolus, cunctis veniet tibi dignus amari.
Regna Liburnorum victor submittet et Istros,
ac Phariam monitis neglectis eruet arcem,
barbarico tutum sistens fervore profundum.
Jam Corycta vetus, Chame, Pola Colchica parent,
Iaderaque, Spalatrum, Corcyra invicta, Ragusum,
Arba memor voti, Traguri civesque Parenti :
omnibus his bellator ovat, figitque tropaea,
victoremque novum accepto fert Dalmata freno.
- Instat vi patria detrudere finibus alter
casuros hostes : dignatus honore superbo
ob claras dotes, et Pannoniis hymenaeis.
Ille etiam partas collustrans impiger oras,
accipiet reddetque fidem laetantibus. Inde
incautum excipiens solio detrudit avito
conjurata manus, terrisque relegat Achaeis.
- Nec te cedentem probitas Centranice texit :
religiosa super nam instratus tegmina, duro
votorum exilio fratrum mittere. Subibunt
quos brevitas ambos et fama obscura recondit.
- Infandis abjecta odiis unius ob iram
Urseolum laudata tribus, dicione jacentem
nunc alia quaerunt patriam, populantur honores
immeriti totos, varium et mutabile semper
vulgus. In imperium (ritu cessante priorum,
quo socium princeps in regni parte locabat)
unicus accitur. Servabit postera morem
hunc aetas, unumque suum pubes sua noscet.
- Transcripta alternis signis labat ariete crebro
Iadera, et horrifico casu exhortatur in arma
diffisos coetus. Etiam te turbide Pepo
(quemdudum ad pugnas non ulla pericla movebant)
Romuleae terrent voces, placataque rursus
dant corda, hos pariter monitus, hostemque timenti.
- Nympha quid o nimium credis formosa colori ?
Nec sentis pulchros artus, heu, tabe peruri
immunda ? Fastum o faciles vos ponite natae,
quascumque Oceanus vitreis sibi legit in arvis.
Silvius acceptum nomen felicibus orsis,
dum fortuna fuit. Sed frustra obtendere contra
Normanum invisas classes ingressus : acerbo
cum luctu caedi socios exponet, et undis.
- Permensi fausto Byzantia litora cursu
legati responsa ferunt : "Submittite colla
horrida, Dalmatiae vis, pugnacesque Croatae.

Adriacumque ultro signis praescribite nomen."
Fallor ? An ex oculis se visum avertere Numen,
tutamen gentis, nulli exsuperabile Numen ?
Da pater augurium ; proh sacram porrige palmam,
porrige, nunc ipso ruit alta a culmine virtus,
et se diluvio miscens effundit in aequor
Urbs, divum domus, heu multos dominata per annos.
Quid refugis ? Si te plebis commissa nefandae
ulla abigunt, coetus omnes prohibebimus aris ;
abdita nam princeps adeat tua limina solus,
soli quos curae pietas praefecit habendae.
- In Mahometigenas ardens late emicat orbis,
ereptas Solymum sedes et templa reposcens
religione patrum, magnoque augusta Tonante,
illic qui posuit se hominem, moribundaque membra,
idem immortalis. Socia agmina jungere fixum est,
bis centumque rates laetis procedere velis.
Sed male Pisanos Rhodio concurrere portu
fortuna implicuit, victasque amittere puppes.
Ionio in magno generatrix inclita vatum
Smyrna jugo assuescit : miratur dives amomo
Assyrius populum ignotum, armatasque carinas.
- Inde urbem Patavi funesta lacessere bella
indignans videas, et notas cernere turmas,
Henricumque altas dirimentem legibus iras.
Bis diram populo dant clara incendia lucem,
horrendisque furit miserum Vulcanus habenis.
Quem modo victorem non fallax fama ferebat,
Illyricos fines infracto Marte tuentem
praedicat immiti trajectum viscera telo
procubuisse, suisque atrum immisisse timorem.
- Itur in incertos Asiae non sponte labores,
et circumfuso fremitu relevatur Iope.
Barbarico exsultant auro spoliisque superbi,
navales turbae. Pretioso murice Sarra
optima, difficilesque moras et dura pericla
respuit, externum miroque errore recepit.
Nec Rhodus, aut Lesbos, Methone submissa, Chiusque
non sensere viros reduces, Androsque, Samusque,
quique impune novis vix paret Dalmata sceptris.
- Quin nec Pisanis strage exsaturata quiescunt
pectora, sed venis fervens injuria inhaesit
altius, ac Rhodios casus expendere suasit.
Ipsi Antenorei veteres etiam arma resumunt,
sed grave, converso pugnae se credere Marte.
Res Argivorum magno turbante tumultu
excita vis Venetum sistet, super usque Sicanas
se infundens oras, terroribus omnia miris
complebit, tutosque arcebit ab hoste Pelasgos.
- Vixisti rapto pressum, Guiscarde, per aequor ;
jam nodo informis leti tibi guttura nectunt,
navita securus placidis dat carbasa ventis,
et pacto Siculas exportat foedere merces.
- Composito in generum molitur signa quietum
Emanuel ; Venetos ergo hinc sociata negantes
agmina sollicitat, quaesito hoc cardine culpae.
Idcirco validas centum placet ire triremes,
ulciscique nefas, toto se opponere ponto.

Hos ille indulgens ludit, causasque morandi
implicat, ac vires cunctantum emollit acerbas ;
dum miseranda lues furto desaevit, et ipsa
certatim agglomerans corrupta cadavera tollit.
Vos etiam, o magni stirps optima Justiniani,
contigit oppetere, ac totum disperdere nomen,
ni sacra Romani subeat jam cura parentis
subsidio, ac juvenem servatum a morte reposcens,
permittat taedas, abjuratosque hymenaeos.
Ex illo rediens fluxis ad limina rebus
infelix princeps, crimenque caputque malorum
diditur ; ac patriis crudelia vulnera membris
accipiens, pacem nimium exsecratur amatam.
- Fas omne abrumpit Danaus : candentiaque aera
missi oratoris visus praetendit ad ipsos,
tormenti genus horrendum. Federice potenti
projice tela manu nec tantum assuesce dolorem.
Ille quidem latitans, in lucem se exseret hospes,
et captae sancto genitorem prolis amore
ad pacis leges adiget. Volventia saecla
id recolent, facti quin auri lucidus orbis
Centauro ejcitur magna, inviolabile pignus
Nereidum matri, atque Adriaco Neptuno.
- Aurius, haud umquam tactus popularibus auris,
non semel effetam veri tentabit Iadren,
eversurum arces minitans : divellitur inde,
protinus ad Solymos hortatu urgente vocatus,
cum Gallo, Belgis, semotisque orbe Britannis,
et male gaudenti fluvium tentare Fedrico.
Nec quicquam versare dolos Saladine juvabit,
hostis ovans muros recipit Ptolemaidis altae.
- Ambustos oculos fessum experietur Etruscus
Dandulea de gente virum : experientur et Histri,
Dictaeique sinus, vulgataque Constantino
moenia, perjuri facinus non ulta tyranni.
Iste quidem ante annos curae maturus, et aequi
consilii puer : extractum de carcere Isachum
eripiet, patruum scelerata fraude superbum
ejiciens. Sed non haec Parcae gaudia longum
esse sinent : instans ambobus terminus haeret.
- Crebra per Aegaeum dominis permissa profundum
oppida, et Ionio loca passim consita Nereo,
rectorem accipiunt Latum. Genuense cadaver
tot formidatum nautis, trabe pendet ab alta.
Feta malis Methone cadit, atque invisa Corone.
Haud tenue instabili Cretae transcribitur agmen.
Nec tamen interea quascumque incidere lites
fas erit : hinc atque hinc sese bella horrida rumpent.
Nec modo transierim tutantes castra puellas,
et teneram pubem, ludo certare paratos.
Jamque nuces et poma volant, bene olentia utrimque
lilia, purpureaeque rosae : jocus illa ministrat
tela. Sed insignis subito e puerilibus armis
seditio, matrum conterrita pectora turbat.
Nec requievit enim, donec sub pacis iniquae
consulta Adriacus Patavos exercitus egit.
- Auxilium Lesbos Cretaeis sistet in oris,
sed miserum fractis discet dare lintea remis.

Inter se coiisse videt duo fulmina belli
Byzantum pavitans, tamque ipsum accendere Martem ;
hac fortuna stetit : dura obsidione levantur,
bisque cruentatos sumunt freta tincta rubores.
En astu Patavina jugo tum colla prementur,
vicinae multum indiga opis. Congressibus impar
horribilem juvenis patri fert caede dolorem.
Quos toties lusit dominos persensit Iadre.
- Indignans tumidum requievit Mincius amnem,
dum bissena virum morientum milia diram
explebunt rabiem, crudelia funera passi.
Nempe Antenoreos intrant victricia muros
signa, nec indomitos dabitur compescere motus,
Ni tot per varias mactaris corpora mortes
o impacatis Eceline e partibus orte.
- Consorti e templo Syriis discordia terris
adjuncto incessit Liguri. Nec numine laevo
occubuisse semel satis est, quin majus adorti
tentamentum : ipsa Drepani illaetabilis ora
optabunt frustra vanos posuisse furores.
Ille autem incepti (quoniam sors laeta recessit)
desertor, tuto hostiles sibi temperat iras.
- Quas non dira fames monet implorarier urbes ?
Sed nihil aut pretio aut multis hortatibus actum.
Felsineos vasto demum molimine cives
populifer Padus excipiet, turbata secundum
ostia vel profugos, vel dura sorte cadentes.
Sed passim Venetos haud aspernanda precatos
serior imposito censu reminiscitur aetas.
- Anconem indignis animis nova jura ferentem
instat Romuleus conjungi foedere praesul ;
mutatos clypeos, aptata insignia furto
fama erit, ac turmas obducto errore prehensas.
Sed dum mixta capit nullos injuria fines,
sedati inter se firmata pace quiescent.
- Exin lugubri vada fervida mole ciebis,
et fremitu senior quassabis caerula late.
Seu quia mobilitas te audacis strinxerit Istri,
cui mentem adjicient exorsa Aquilegia, seu quod
nequiquam Syrios tractus petiere phalanges,
Christicolumque isthinc retro sublapsa potestas.
- In Ligurem auspiciis geminato Marte sinistris
certatur, fractoque illidens ossa cerebro
ipse gubernator se exosum destinat umbris.
Indignos contra conspirant impia patres
pectora, per mediasque vias it triste periclum,
sed merita auctores (ut semper) poena retundet.
Rursum terrores alios sacer ore Quirinus
accumulat, dum subsidens Ferraria paret.
Perque domos hostem trepidant, flammasque volantes.
- Alternans toties fallaci cedet Ibero
Iadera, sed medio sociorum naufraga fluctu
corpora, commissum scelus expendisse gemiscet
infandumque caput vix tutae adnabit arenae.
- Quanta autem patriae superat pietatis imago ?
Unus pro multis commoti sustinet aestum
clementis, colloque trahens horrentia ferri
pondera, sub pedibus nutus observat heriles.

Non secus ac mensam trepidans canis haeret ad altam,
opperiens tardam malis crepitantibus escam :
jamque minas domini, tergo jam verbera perfert.
Sic ille ; at numquam memori fors eximet aevo.
Threicias instructa manus processit ad arces,
ausa sequi adversum Ligurem : qui urgentia castra
permetuens, misso sancit nova pacta tumore.
- Nec rabidi possunt armis absistere Turci,
donec deprensos immenso robore Zenus
et ferro et laqueis turmatim ad Tartara mittat.
Scalanae intentans genti fera funera Rubri,
in quantum spe tollis avos ? Hoc acrius ergo
de medio tristi lugebunt vulnere raptum.
- Terrifici subito montes volvuntur aquarum,
miscentes terramque fretumque ; at non sua damma
advertunt, sceptro excusso Gortynia pubes,
dum peditum occurrens redigit vis dura rebelles.
- Aspera Pannonios attraxit causa maniplos,
in patriam reditus queis fata adversa negabunt.
Unde tremor terris ? Hominumque et vasta deorum
culmina praecipitant, malesuada invadit egestas,
corruptoque lues caelo, tum letifer annus.
Tristis ubique pavor, et feminei ululatus,
inque dies aegris avidam cladem aggerat atra
Tisiphone. Posthaec cum multo sanguine venit
nunc his, nunc anceps Ligurum victoria turmis.
Post tamen ingressus varios, finemque sub ipsum,
Sardoos circa portus nova gloria tollit
gliscentes animos, quoniam Genuensibus actis,
arma, viros, gazasque omnes mersere profundo.
- Sed rursum vires alias, nova proelia tentant,
Caesorum aequantes numerum ; non hoc tamen ante
confligens plausis corvorum exercitus alis,
et cruor et vulsae cessabunt dicere pennae.
Ipsum autem trepidi patres indigna moventem
arripuere ducem, perjuraque colla securi
mulctantes, famam damnati ex ordine avito
sustulerunt, urbemque adoperta fraude levarunt.
- Captivi notos veniunt hinc inde penates,
votaque diis superis solvunt, et pace reducta
servati exsultant. Jam nunc discordia demens
Pannonas invasit, vastosque educere acervos
admonuit, longeque alienae effundere terrae.
- Objiciunt Itali sese defensa tot annos
ad loca conatque haud inferiora secuti,
insistunt contra externum detrudere regem.
Fata vetant : virtus ergo quid vivida possit ?
Ceditur. Illyriaeque oras data dicta refellens
occupat, et facta Ludovicus pace potitur.
- Pertaesum est varii incepti, magnumque laborum
Ausoniae ; populis igitur sententia versa
Idaeis, duros juvat evasisse lupatos,
rectoresque alios rebus legisse novatis.
Non impune tamen : pressis parere necesse,
auctoresque ipsos miserari extrema luentes.
- Eventu super hoc nec dum turbata Calergus
corda gerens ; iterum se in tanta pericula mittit :
"Imo, ait, arreptis signis, fortissima frustra

pectora, nunc animis opus est : meme duce ferrum
corripite, infractis mecum vim viribus omnem
exite : haec superat via libertatis ademptae,
ante oculos jam tuta salus, ipsosque morantes
exhortatur agens, ne quis timor orsa reflectat."
Dixerat hic. Residesque audacibus induit armis,
sed non et dixisse volet. Namque hoste subactus
magnanimo, varios moriens reminiscitur ausus,
Gnosiaque Adriaco residet victore potestas.
- Tergesti veteris jussos descendit in agros
accola Danubii ; nequiquam plurima adortus,
a tergo statuit promissos linquere muros.
Nec tibi Carraro placida contenta quiete
mens fuerit, donec domitus cum Pannone juncto
difficiles Patavum mores invexeris urbi.
Multa quidem meritis Pisanum fama tropaeis
extulit ; at dum versa fidem fortuna fefellit,
carceribus clauso veteris male gratia facti
proderit. Adversis cum vero allabitur aequor
classibus, et taedis fumans jam Clodia cessit,
omnis in hoc uno superabit cura recepto.
Ante fores ergo quae signa Ligustica Martem
instigant, acuuntque metum, jam ponere fastus,
incassumque alio excussos laxare rudentes.
- Nec tantum legem se Maurocenus ad unam
verteret, ac tortos funes sine sanguine tollens,
subjiceret ferro capita obtruncanda latronum ;
verum alios longe mentem adjecisset ad usus,
non laudum indignus, si qua fata aspera rumpat :
multum atrox Lachesis praelato invidit honori.
- Objiciet poenis ausum juvenilia natum
immotus genitor, et servantissimus aequi :
quam mallent alii immitem flexisse precando ?
Creverat immensum Galeaci robur, at illum
circumstant Veneti, non ulteriora ferentes
tentantem, pulsus Mantoos oderit agros.
- Opportuna equidem rebus Lombardus egenis
auxilia adjecit : Methones liquentia circum
stagna, premens Ligurem successa animisque superbum.
Scalanos tacita fretus Carrarius arte
cum genere exstinxit, tota cum stirpe ruentem
mox ipsum Euganei resonabunt undique colles.
Veronae muri, Feltrum, veteresque Coloni,
Bellunum, et Patavis nimium Vincentia campis
vicina, aligeri gestant insigne leonis.
Contra autem Tusco stipatus milite Pipus
ardua molitur : rebus post deinde relictis,
heu miseras fauces liquefacto proluit auro.
- Quis tamen hoc Utino prudens persuadeat auctor,
respuere imperium, dubio se credere Marti ?
Cum se defessis animis mox offerat ultro,
et tota aeriferos submittens Carnia montes
cedat jus proprium Techi, Venetoque remittat.
Non tulit augustam miserans Mocenicus aedem
conjectis priscum facibus posuisse decorem,
tecta sed hortatu atque auro semiusta refecit.
- Brixia pugnanti numquam defensa Philippo
hac cessit. Stragesque Padi per amoena fluenta

ingruit : o fugite, haud semper victoria ridet
invictis. Ligurem quin debellate fugacem,
et trepidam (cur jam segnes) tentate Cremonam.
Tuque etiam instantis Picinini Sfortia vires
infringe, et genero deinceps dotatus ab hoste,
non huc verte acies, illac sed dirige cursum,
qua Mediolani potior fors moenia spondet.
Diruta procumbunt Byzanti tecta, priusquam
subsidia horrentes turmas adiere Getarum.
- Intremuit quassata sinus terra Itala circum,
consiliis habitus quando non futilis auctor
e patrum solio Maripetrus jura ministrat.
Tum nova Teutonicam mentem experientia coepit,
incisisque notis veterum monimenta virorum
coepta legi, et saeclo penitus superesse minorum,
cum primi foliis et cerae glutine tantum
mandarent multo praeclara reperta labore.
- Non tibi Tergestum Mauro, sed cetera laudem
facta ferant : jam jamque manum glomerare memento,
arma parare, ducesque, et vela, impellere remos.
Heu, quo Graiugenum ductu considit in oris
dira fremens Otomannus ? Ut horrent omnia caede ?
Perque hominum flammae volitant per culmina divum.
- Ipse etiam validas haud segnis cogere turmas
instituit, ac duri mixto Tronus agmine Persae
Maeonio Smyrnam insignem delevit alumno.
Invehitur magna matrum Catherina caterva
et se pulchra viro dignatur jungere Cypro,
non metuens Austris dubiis committere vitam.
- At non exiguos luctus post fata mariti
perferet, ut subito late omnia fervere motu
spectabit, patruique aspersas sanguine cautes.
Tu modo maturare viam, Mocenice, pergo :
hoc votis Cyprus rogat, atque Albania Scodra,
dum Turcos aegre vulsis a moenibus arcet.
- Illi etiam crebris Aetolum assultibus urgent
Naupactum, donec tota obsidione repulsos
tormentis horret muralibus excita Lemnos.
Tecum erit iste labor campis diffundere apertis
aeratasque trabes, delectam ad fortia pubem,
Lauretane, maris quem praefecere potentem.
- Aerei contra montis sub culmine Croia,
Epiri decus antiquum male sustinet hostem :
erumpunt castris, atque obvia proelia miscent,
victores laeti, ni praedae insana cupido
injiciat stimulos : foede moriuntur inulti.
Tum Mahometigenum lunatis agmina pellis
ipsis in Latii foribus, rapiuntque ruuntque :
sanguine Mossa suos gemuit pinguescere campos,
corporibusque vagum requievit Sontius amnem.
- Post vacua indigenum Scodra Lemnoque relictis,
invisum nomen terras Otomanne levabis.
At simul exceptus per religiosa Deorum
limina procumbit Medices, juvat arma resumi,
et Florentinos defendi milite campos.
Non etiam abstinuit bene conscia ab Hercule virtus,
nec tantas turbans vidit Ferraria moles
mulceri, donec fumantibus Hadria tectis,

Rhodigiumque metus disjectum exasperat atros.
Nam velut arentem in silvam pastoribus olim
flamma furens immissa, animos acquirit eundo,
nec jam stipitibus passim contenta praeustis,
sed tota evertit victrix spelaea ferarum,
fortius insurgens graviter spirantibus Euris :
haud secus oppositis exercita turba tuorum
ardescent bellis, se seque per ardua tollent,
usque adeo obnixi nullos non temnere casus.
- Omnia nunc rident, nunc formosissima rerum
procedit series, capiunt contagia finem :
pax terrasque salumque regit camposque jacentes
pacis amica Ceres ingenti obnubit amictu,
blandaque tranquillas demulcent gaudia mentes.
Sed qualis quantusque Arctoo promit ab orbe
sese heros ? Quae progenies, quantum instar in illo ?
Gratatur laetos olli Germania fasces,
Oenotrique viri studiis plausuque sequuntur.
- Nec longum in medio tempus, cum limina propter
Ausoniae certat, superans discordibus ira
fluctuat ; albentes campi solido aere relucent,
venit et egregius Gallorum Carolus, arte
praetenta : tum vero horror, latosque per agros
armorum strepitus. Mox illum fata tulere
exauctum spoliis. Miscentur jure Cremona
Adricolis, Tranum, Brundisum, Hydruntaque signa.
At regina gravi patribus servanda periclo,
posthabita Cypro laribus concessit avitis ;
omnis quam chorus applausu comitatur ovantem.
Otia progenies Otomanni perfida rumpit,
ast Itali exsultant Cephalenes arce potiti.
- Quid loquar adversus velut insurrexerit orbis
Europae ? Varioque gemat certamine tellus
Saturni senis. Aggeribus dum proruit ille
Alpinis, lugetque indignans Abdua caesos.
Hic contra Caesar populatis Teutones arvis
explicuit ; sedet hic Roma digressus Iulus,
Eridanumque illic largo de nocte cruore
imbuit Alfonsus : dii caedis quanta cupido ?
Jamque hac ambiguus jamque illac haeret Iberus.
Considunt tamen haec pugnata ex ordine bella
ereptumque dolet fatis Maxaemilianum
vis Germana, nepos tanto delectus honori
Carolus, haud villi pace et Mavorte secundus.
- Atque hic Belgradicis animos successibus audax
in Rhodios toto Sulimannus turbine fertur,
nec dextrae urgenti (dirum) fors abfuit aequa.
Ingruit at Gallis ardenti Caesare Prosper,
quos Veneti multo juvere in proelia nisu :
ille autem rapto potitur, fessosque repellit.
- Nulla mora : in Gallos demum pulcherrimus addit
Grittus equos, additque duces : Ticinus oberrans
Franciscum victas prospectat tendere palmas.
Ne tibi pugnandi veniat tam certa cupido,
namque adversa cano tumidum, Ludovice, per Istrum.
Haeccine restabat pulchrae sors aspera Romae ?
Ut sacer infusum mediis penetralibus hostem
aspiceret Clemens ferri furialibus ausis,

842 perque ipsos divum postes per splendida tecta
843 bacchari in trepidos cives, miserandaque matrum
844 corpora ? Quid cessas o non doliture, supremo
845 diluvio miscere tuos, tuaque omnia Thybri ?
846 Parte alia invisam bis vasta mole Viennam
847 sollicitans Turcus retro tela impia vertit.
848 Quem Veneti magno sociorum foedere contra
849 instituerunt, toto rapidique egere profundo.
850 - Ancipiti imposita est tandem manus ultima bello :
851 Nauplia dum cedens corda exsaturata Getarum
852 placat, magnanimum domitrixque Epidaurus equorum.
853 Nec vero hae sine more datae, nam dira feraces
854 per glebas pinguis Latiis penuria saevit.
855 Landus opem miseris properans, huc vertit et illuc
856 obscaenamque famem, et belli finire labores.
857 - Ergo compostum placide Donatus inibit
858 imperium, blando securus laeta tenore
859 pectora. Non aliter, quem frigida bruma coercet
860 ante focum, tristi torpentem membra veterno,
861 agricola exsultans laetae dat jubila mentis,
862 dum gelidus canis se exsolvit montibus humor,
863 antiquasque domos longa a regione revisit
864 candida avis, numquam confecto ingrata parenti.
865 - En tibi praeterea gemini venere Priuli :
866 quae virtus, qui frontis honos, et fortia gesta ?
867 Ante diem roseo quem Lucifer orbe reduxit
868 componet rursus tenebris, quam singula pandam.
869 Sed quid ego haec autem ? Satis est potuisse moneri
870 intentum te, magne hospes, natasque decentes.
871 Haec obscura tamen venient labentibus annis,
872 seque tuis populis manifesto in lumine prodent.
873 At nunc me tenuis crepitans vocat Auster in altum."
874 Sic fatus patrias Proteus se accingit in oras ;
875 Adria quem cupidus circum nymphaeque volutae
876 detentant pendentque iterum narrantis ab ore.
877 Ille morae impatiens, formam conversus honestam
878 prorumpit stagnis, immani corpore pistrix :
879 aspectusque Dei misso sermone relinquit.

# ELIAE CORVINI JOACHIMICI POEMATUM LIBER SECUNDUS. (ELEGIACA)

MAGNIFICO DOMINO FELICIANO. L. BARONI IN HERBERSTAIN, ETC.
HEREDITARIO CAMERARIO ET DAPIFERO CARINTHIAE PATRONO OBSERVANDO.

P2_01 v.1 Tristis hiems Zephyris flatu depulsa recessit,
2 jam melior rebus forma, vigorque venit.

Ornat se vario passim natura colore,
mille solum species, corpora mille refert.
Jam volucris summum modulatur in aera carmen,
auctorem celebrat, qua valet arte, suum.
Me quoque coepit amor, veterem exercere palaestram,
atque juventutis prodere scripta meae.
Verum quid volui misero ? Tamen angulus omnis
carminaque, et vates angulus omnis habet.
Non totidem sub vere sonant arbusta cicadis,
non totidem florum germina, prata ferunt,
quot modo stridenti disperdunt carmina lusu,
quotque poetarum nominis angit amor.
Ergo manete, Elegi molles, mea cura manete :
saepe juvat tacito delituisse loco.
Quae tamen occurrent emissae incommoda chartae ?
Quot sunt probra foris, quot subeunda domi ?
Per nemora, ac montes gelidos, vallesque recurvas,
(saepe ibi monstra latent) longa terenda via est.
Praeterea livor rabido vos gutture carpet,
qui nimium nostro tempore juris habet.
Sed quid ego accinctos teneo ? Voto ite secundo :
communes pariant nulla pericla minae.
Inter enim dubios casus, hostile per agmen,
qui levet ignotos, forsitan unus erit.
Tu modo qui priscos anteis virtute Quirites,
magne tuae juvenis splendide stirpis honos,
felici vultu subeuntibus annue Musis,
nec pedibus fessis hospita tecta nega.
Si placida jam mente faves, si missa probabis
munera, nil reliquis displicuisse querar.
Quod cecinit mea Musa, tui suscepit amore :
e variis sat erit jam placuisse tibi.

## DE DIGNITATE POETICES.

P2_02
Bacche bimater, ades : Phoebum tibi junge volentem ;
adsis Arcitenens, Bacche bimater ades.
Corda furor penetret Lenaeus : dextra sagittas,
diluvii colubrum quae domuere, ferat.
Numine nunc opus est, nunc carmine ad arma ruenti :
insultat Clario vis odiosa choro.
Faex immunda hominum, turpi livore subacta,
virgineum diro Marte Helicona petit.
Sternantur, ceu fuscae acies, Gangetica regna,
ceu Python, largam qui vomit ore luem.
Vester honos agitur : nostrae data robora menti,
imberbes, vatum praesul uterque, dei.
Fine carens, ortuque vacans suprema potestas,
cum vix et caelum terraque vasta forent,
aligeros regni coetus in parte locavit,
seque Deum pura luce videre dedit.
Fecit et aeterno praeconia dicere cantu,
atque animis magnum nil nisi ferre patrem.
Ecce anima illustris, numero sublimior omni,
cum notum crimen non foret, ausa scelus.
Ausa scelus mitem fastu temerare parentem,
et se majorem prodere, sive parem.

Prima lues sorti socios adjecit iniquae,
jamque Giganteus grex fera bella ciet.
Eheu, tum genitor primum indignatus : inermi
suscepit (miserum) tela trisulca manu.
Auctoremque mali, tenebris cum gente nefanda
destinat, ut poenis effera facta luat.
Exsultat melior divum chorus : atria celsa
felicem palmam, laetitiamque sonant.
Tunc primo coepit celebrari carmine Paean :
carmine io Paean dicitur ante Deum.
Hinc ubi compleri deserta sedilia visum,
substituique novum per fora sacra genus ;
consulto nostri pulcherrima constat origo,
seque recens posita mox homo tollit humo.
Qui niveo purae jam functus munere vitae,
perpetuum verso corpore numen agat.
Tunc natura potens, productae est ordine certo :
auram flamma levis circuit, unda solum.
Multiplices horum generant discrimina formas :
inde quod exoritur semina prima capit.
Compages super his mirando foedere fertur,
igne vagas pascens utiliore faces.
Orbes diversa varii ratione vehuntur :
primus hic, ille imus, tardus hic, ille celer.
Perque polum adverso passim concurritur astro :
his iter Hesperium, pars oriente venit.
Lege tamen posita numerorum cuncta geruntur,
mensura, numeris, pondere, et harmoniis.
Illic dulce melos contextu carmen adumbrat,
concordesque parit musica blanda vices.
Dicis abesse sonos : quia nec volat obvius aer ?
Mundanos sonitus non amat ille tenor.
Altior huic virtus, dulcedo major, ut illic,
pulchrior exuto corpore vita viget.
Hinc sacri ingenuum vates traxere vigorem,
et par e superis motibus ardor inest.
Adde quod insignes habitent ea tecta Camenae,
quodque ibi dulcisonam tangat Apollo lyram.
Imperat aetherius magno calor ille Poetae,
effectumque agitat causa superna suum.
Ex illo, insinuans praecordia spiritus urget,
suscitat afflatu pectora mota Deus.
Ceu rapit, et lateri connectit amabile ferrum,
naturae motu sic operante, lapis,
utque superveniens captatur fomite flamma,
scintilla immensas concitat ignis opes :
sic, ubi vis caeli mentem generosa subegit,
conformem arcana finxit et arte sui :
semine ab infuso, penitus sublimia versat,
et spatio tenui maxima quaeque capit.
Delicias oblita hominem tunc sentit Olympi,
exemptas vulgo deside delicias.
Omnigenum transit facilis penetralia rerum :
nunc ima interpres, deinde suprema docet.
Stulte quid haec Stygio fieri spiramine latras ?
Impetus infernis dotibus ille venit ?
Scilicet invidit quoniam tibi conscius aether,
munere de tanto turpia ferre libet ?

Nonne bonum caelo quod provenit, extudit auctor ?
In nos luxuriant sidera cujus ope.
Improbe, justitiam rabida dum voce lacessis,
justitiae fontem polluis ore Deum.
Attoniti vates divum sermone loquuntur,
haec tuba fatorum seria tecta canit.
Sic tacito influxu castae cecinere Sibyllae,
historiam vitae, maxime Christe, tuae.
Sic genus Isacidum invisa dicione magister
educens, telo dum vada rubra secat ;
heroo versu perculsus concinit heros,
ultori grates carmina grata tulit.
Porro ubi Davides compostus pace salubri,
evasit belli sorte favente minas,
debita persolvit summo praeconia regi :
tunc hymnos lyrici constituere pedes.
Post, cithara Thracen Cyllenius Orphea format,
Alcidaeque Linus cura magistra subit.
Abdita naturae majestas paruit illis,
atque opifex animis obvius ipse fuit.
Mox bonus Amphion Thebanae conditor urbis,
Pieriis mulcet saxa ferasque modis.
Nil mortale ferens, terrae procedit Homerus,
omnia qui sacro pectore solus habet.
Ille quid et pulchrum, quid turpe, quid utile, et aequum,
quae fugienda docet, quaeve sequenda monet.
Omnia saecla ferunt primos huic laudis honores :
Musarum decus hic, gloria, splendor, amor.
Nonne tibi Ascraeum sonat immortalia carmen ?
Quod rigidas ornos vertice montis agit.
Ruricolae stupuere sonos oracla ferentes,
et sacra cantanti vota tulere patri.
Ingreditur silvis pastor Mantous opacis,
rureque jam domito, Martia bella canit.
Cujus uti nulla succrescit gloria laude,
livore indigno sic nequit esse minor.
Omnia plena Deo : fervoribus omnia caeli
plena, Dei variis omnia plena bonis.
Sic Pelignus ovat vivaci gutture cygnus,
qui placido immanes leniit ore Getas.
Nec tibi praevertant animum ludibria vulgi,
confictis dici plurima gesta modis :
scriptaque lascivos haec irritare furores
et teneras mentes turpe docere nefas.
Nonne latet dulcis duro sub cortice fetus ?
Occultae latebris nonne tenentur opes ?
Haec abstrusa licet plebem frustentur hiantem,
judicio frugem nobiliore ferunt.
Namque sub his olim quae finxit sancta vetustas,
aureaque utilitas, causaque certa latet.
Hinc naturali deducta ab origine quaedam,
orbes cum stellis, aut elementa notant.
Exuviis quaedam variatoque abdita amictu,
eventus varios, historiasque tenent.
Sub reliquis vitio certat pulcherrima virtus :
exemplumque boni, flagitiique patet.
Haec jucunda animis simulacra tenacius haerent,
molles delicias maximus usus habet.

Sub calamo levitas, gravitatem pectora spirant :
mens fugit, in lucem quod mala lingua tulit.
Ignes Pasiphae foedos perpessa, parenti
Odrysium Progne regia mactat Ityn.
Aureus inclusam Danaen perlabitur imber,
sub capto sentit retia Marte Venus.
Non, quod ab effigie turpi foedetur honestas,
sed quod ab eventu surgat honestus amor.
Crimine detecto, virtus detecta patescit,
et roseo longe clarior ore nitet.
Sic injusta docent rerum monumenta sacrarum,
fiat ut e casu dextera vita malo.
Samsonis oppressit robur fatale puella ;
tu fuge : versutis femina plena dolis.
Vindex illicitos Hymenaeos poena retundit ;
sic Sodome cecinit, celsa Gomorrha fuit.
Pendentem gladius fodit Absolona Joabi ;
sanguine fraterno sparserat ipse manus.
Singula justitiam suadent, quae injusta docentur :
sic usum mellis floris amaror habet.
Aethere Maeonides furibundam dejicit Aten,
dira quod assiduo damna dolore struat.
Haec hominum generi varias fert noxia pestes :
hinc luctus, caedes, tabida cura, labor.
Luciferum supera Deus expulit arce volucrem,
noctivagumque nigras jussit adire domos.
Nempe quod insidias caelo tendebat : id ipsum
nunc agit, et terris tristia quaeque serit.
Hujus ab immisso punguntur corda veneno :
hinc nihil est quod non polluat atra lues.
Sic, quae ficta refers, tibi quae lasciva videntur,
exortus veros, commoda vera dabunt.
Gemma nitens, fulvo si quando includitur auro,
per se grata quidem, gratior esse potest ;
sic ubi causa gravis pulchro velatur amictu,
ornatu potius splendidiore juvat.
Illustres animas movet haec innata voluptas,
quaeque latent vulgus condita, sponte patent.
Carmen ob id magnis res grata heroibus olim,
et ducibus curae carminis auctor erat.
Vir Macedo divi caeleste volumen Homeri
quo cubuit fertur supposuisse toro.
Auxiliumque viae belli, fuit Ilias ipsi,
hoc duce grata dies, noxque sopora fuit.
Scrinia Persarum regi cum victor ademit,
Smyrnaeum spolio divite condit opus.
Excidio Thebas ubi sterneret, esse penates
illaesos voluit, Pindare culte, tuos.
Ennius huic curae cui victa dat Africa nomen ;
Messalam sequeris, docte Tibulle, tuum.
Jusserat excedens qui Pergama scripta cremari,
Caesaris Augusti clarus honore fuit.
Contendunt uno de vate : Ios, Argos, Athenae,
et Colophon, Salamin, primaque Smyrna, Rhodos.
Nec modo factus honos : injuria saepe repressa est,
hostes supplicium sustinuere necis.
Cepit Olympiaco crudelia praemia Marte,
qui cruce vel saxis Zoilus acta luit.

Laeserat hunc verbis, vitam sibi laesit iniquus :
ulta est aeternum Graecia pulchra decus.
Vim parat occultam fallaci mente Pyreneus,
ut redigat castas in sua jura deas.
Tingit humum moriens scelerato sanguine ; cunctis
hostibus exemplum vindice caede tulit.
Nec solum vitae decorant haec praemia metam,
dumque inhibet cursus invida Parca, jacent.
Gaudia post obitus majora, et nobile semper
jucunda accrescens praemia nomen habet.
Sic omnes superant, Phoebo qui digna locuti :
jacturam famae non tulit ulla dies.
Ipsi praeterea, quos pro virtutibus amplis
laude vehunt, memori posteritate vigent.
Omnia mors atrox, vel sint adamantina tollit,
extremam tollit vivida Musa necem.
Dignum laude virum digno conjungit Olympo,
caelicolum turbis efficit esse parem.
Laudibus indignum lugubri destinat Orco,
imprimit Aeolias Tantaleasque notas.
Felix qui potuit faciles habuisse Poetas,
infelix, calami quem gravis ira premit.
Sic ubi progenies magni laudata Philippi,
Pelidae fortis splendida busta videt,
felices obitus dicit, praeconis Homeri
voce celebrata qui meruere cani.
At socer infestus laqueo sibi guttura stringit,
ut tua persentit fulmina, laese gener.
Florida quapropter victricia tempora laurus
exornat, vivas semper odora comas.
Non illam rabies hiemis, non horrida perdunt
tela Jovis : solito semper honore viret.
Tempestas sic nulla sacros abolebit honores,
quos expers omni fine Thalia parit.
Hinc animus rerum surgit contemptor, opumque
illis divitiae florida scripta suae.
Ut pulchro fatis erepti nomine vivant,
ardua sedulitas grata quiete magis.
Plebeios strepitus odere, silentia captant,
secessus nemorum, pictaque rura petunt.
Scilicet hic studiis arrident otia : vires
integritas animo suscitat ipsa loci.
Tunc haurire licet mentem, quam sola per arva
indidit Ascraeo turba novena seni.
Hic jacet illustri fama contentus in hortis,
hic capitur rivis, vallibus, ille jugis.
Omnia suppeditant dio fomenta calori,
carpimus aetherias quo stimulante vias.
At fera paupertas urget ; sic ille molari
exercet teneras asperitate manus.
Sic laris et fundi tristis defectus, adegit
illum Pindarico promere verba stilo.
Prostitui foedo sacrata scientia quaestu
non meruit : foedas non ea tractat opes.
Omnis opum cumulus brevibus dispergitur annis,
qua pereat virtus non gravis hora venit.
Exstiterunt prima quaecumque ab origine rerum,
e doctis constant nunc quoque nota libris.

Mersit opes fortuna potens atque ardua regna,
   doctorum nescit mergere notitiam.
Nec tamen ipsa adeo sors laeva repressit egenos,
   quo minus Aonium perficeretur iter.
Subsidio reges properant, curamque capessunt ;
   sic ovat Etrusco sanguine cretus eques.
Caesaris electu Nilum praesectus habebat,
   a quo perpetuum nota Lycoris erit.
Hic auri nummos numero cum versibus aequat,
   squamigeri vitam qui cecinere gregis.
Multi praeterea fortunae munera dextrae
   exosi, studiis posthabuere suis.
Divitiis aulae Menander praetulit artem,
   ad Phariam cupido rege vocatus humum.
Vivitur ingenio, famam reverenter habeto ;
   omnia praetereunt, fama perire nequit.
Virtutum niveo tegitur velamine Ulysses,
   dum natat Ogygias, corpore nudus, aquas.
Sors indigna licet Phoebi nudarit alumnos,
   attamen hos virtus culta, decusque tegit.
Denique Musarum dictis qui jura profanant,
   horum animos nulla constat ab arte capi.
Imbuitur tenerum venerandis moribus aevum :
   cor nitet exemplis, lingua sed eloquio.
Jucundae senio Musae, longaeva voluptas,
   alliciunt rugis dulce quietis opus.
Oedipoden gravibus dum personat ille cothurnis,
   centum annos vates jam prope natus erat.
Simonides docto solitus contendere versu,
   cum praetergressus lustra bis octo fuit.
Adverso casu solacia grata ministrant,
   ornatu decorant prospera fata novo.
Nobiscum comites peregrina sede morantur,
   nobiscum proprios cura habitare lares.
Nil intentatum celebres liquere Poetae :
   omne adeo rerum concinuere genus.
Scimus, et adducti justo fervore fatemur,
   quosdam degeneres hoc violare decus.
Dum subit effrenes conficta insania sensus,
   horrendoque ruunt more per omne scelus.
Ne genti tribuas foedae sacra nomina vatum :
   latrones, fures, Telegonasque voces.
Ense magistratum decuit cohibere scelestos,
   insulsum rigido jure domare gregem.
Sacrilegi merito Phoebum praedantur honore :
   deformant donum praeses Iacche tuum.
Nil sublime adeo posuit scelerata libido,
   quin ausi taetras sint penetrare vias.
Cor nempe egregium furor ille poeticus urget,
   et quodvis leviter suadet obire nefas.
Exsecranda cohors titulo nil digna Poetae,
   proque Helicone crucis scandere digna jugum.
At caeli virtus facit et doctrina Poetam :
   his, merito tantum nomen habere licet,
ongenium moderata acuit cultura Lyaei,
   subtilis mentem spiritus inde regit.
Aurea sed nimio sapientia pellitur usu,
   hinc venit indignis barbarus ille furor.

Casta placent Musis, placet ipsa modestia Phoebo ;
cultores horum vita modesta decet.
Sic Maro Parthenias vitae per tempora dictus,
ex nivea morum simplicitate, fuit.
Tantus honestati cum denique jungitur usus,
omnibus in pretio vera Poesis erit.
Quem non alliciant sacrata poemata tandem ?
In quibus abstrusae tot cumulantur opes.
Solae Pierides teneris mea gaudia ab annis,
ad cunas cecinit pulcher Apollo meas.
Hunc quoniam innato semper fervore secutus,
nunc sequar, et juga nunc acrius alta sequar.
Amne Medusaeo sitientia labra refeci :
urgebo celeres per loca senta gradus.
Insuper et reliquas scrutabor Apollinis artes,
quas mire veteres occuluere Sophi.
Primus in his culto versu, Augurelle, sonabas,
ipse tua expertus scripta secundus ero.
Haec qui forte leges, mecum venerabere divum :
cui favet, ingenii dexteritate favet.
Salve lux Superum, Phoebi salvete sorores,
Mnemosyne juncto quas Jove feta tulit.
Te canto, comitesque novem, solacia nostra,
aspiret velis aura secunda meis.
Cantanti numeris felicibus ora resolve,
duc opifer faciles tesqua per aspra pedes.
Vulnificos nemo melior te dirigit ictus,
vi domat immanes insidiisque feras.
Testis adhuc superest, telorum turbine stratus,
qui se submersa protulit anguis humo.
Hinc nova compositi peragunt spectacula ludi,
et monstri casum Pythia dicta ferunt.
Te celebrat, donisque onerat sollemnibus aras,
Paeonia quisquis fata coercet ope.
Qui volucrum linguas et praepetis omnia pennae
observans, terris inde futura notat.
Te juvenem teneri decorat flos integer aevi,
supprimit intonsas nulla senecta genas.
Invictam maneat quam vasta potentia dextram,
horrida Cyclopum turba monere potest :
fulmina quos magno properantes jussa Tonanti,
fervidus erepto pro Phaetonte necas.
Ut vario supplex te nomine vulgus adorat,
diversa vires sic bonitate geris.
Huic Phoebus placuit ; Titan mox diceris illi,
jam Sol luciferos aethere ducis equos.
Cum libuit Paeana vocant, Hyperiona pulchrum,
nonnumquam genitor tu quoque Liber eris.
Placat equo Mithran radiantem Persidis ora,
sidereas cantu mulcet Apollo domos.
Delphica praeclaro tellus exornat honore,
Aegaeisque sedens patria Delos aquis.
Te Claros et Tenedos colit, Oebaliaeque Therapnae,
miranda statuae mole superba Rhodos.
Gryneumque nemus, Chryse, Parnassia rupes,
et cum Mileto nota Tegyra solo.
Te Soracte canit, veneratur Acrephnia templo,
sex Patara hibernis mensibus apta fovet.

Primitias frugum Delo devota remittit,
dura Lycaonio terra propinqua polo.
Te citharae cantusque decent, teneraeque choreae,
per te carminibus gratia viva venit.
Laetitia plaudunt Latonae pectora matris,
facta suae prolis dum celebrata videt.
Mirantur Superi, miratur Juppiter ipse,
et stupet insignes invida Juno sonos.
Blanda Venus, nudae Charites, Musaeque sequuntur
Dianae digitis juncta Minerva salit.
Quem tu nascentem placato respicis ore,
in cunis infans gaudeat ille suis.
Aetherio nutu, mortali sorte relicta,
altius humanis ora sacrata feret.
Arcani quicquid mundus tegit, eruet ipse ;
heroum grandi concinet acta tuba.
Assis Phoebe parens, assis tua sacra colenti :
tu mihi spes, et amor, tu mihi cura, quies.

## CHRISTUS TRIUMPHATOR.

P2_03

Panditur antiqui postquam victoria belli,
tritus ubi aeterno dux Stygis hoste cadit ;
exere paulatim blandum mea Musa vigorem,
et tenui plectro magna sonare para.
Ipse aderit, nigro qui fixit ab orbe trophaeum,
caelesti vires ingeret arte suas.
Dulce redemptori nos haec memorare redemptos,
et bene pro meritis gratia nostra venit.
Jamque adeo superas lucis remearat ad auras :
non recidiva Deus membra gerebat homo.
Monstrorum domitor, caeci destructor Averni,
qui populum diro vindicat interitu,
aggressurus erat magnos victoris honores,
aede patris celsa suscipiendus erat.
Sanctorum procerum fida stipante corona,
quos dubiae comites legerat ante viae,
ibat Palladii juga per viridantia montis,
mille bis hic Solyma distat ab urbe pedes.
Plurimaque inter se laeto sermone serebant,
tractantes placido regna futura statu.
Ecce triumphator pernix liquidum aethera tranat.
Atque iter aligero carpit inane gradu.
Currus erat, spissa circumdatus undique nube,
innocuum rutilo fulmen in igne ferens.
Huc, medius solio gemmis stellante resedit,
spectantum radians supprimit ora vigor.
Justitia auratos orbes et Vita revolvunt,
frena manu sacra Pax reparata regit.
Verus ab incessu patuit Deus : aethra coruscat,
astra creatori lucidiora favent.
Aerei juvenes coetu comitantur ovante,
cornua conspirant, dat tuba rauca sonos.
Qui caput ante nigra involvit caligine Titan,
ne crudeli obitu lumina pollueret ;
jam sese ad reditum fulgore exornat amoeno,
effundens vultu liberiore jubar.

Quae lacrimas noctu rorabat frigida Phoebe,
applausu visa est incaluisse novo.
Laetitiam pulsis coeperunt omnia curis,
gratantur reduci cuncta creata Deo.
Captivi a tergo lugubri more trahuntur,
impliciti collo ferrea vincla gerunt.
Prima tenet, nostri quia prima est causa laboris,
princeps inferni qui data sceptra tulit.
Criminis in signum, graditur serpente revinctus,
quo delusa hominum massa caduca fuit.
Et quoniam audaci fastu dejectus ab alto est,
nunc etiam oppressi pectora fastus habet.
Post hunc terribili procedit in ordine Letum,
pallens, indignans ; vix tamen ossa trahit.
Nempe quod ex malo prorupit turba malorum,
cum pomo vetito spicula fracta tenet.
Mox trepido passu peccatum volvitur atrox,
declinat vultus, et graviora timet.
Hinc aerumna gravis, rabido informata dolore,
et pretium nostri Poena cruenta mali.
Terrorum variae facies, inimica tyrannis,
aeternique ignes, perpetuusque stupor.
Portantur valido perrupti cardine postes,
armaque, et hostili quicquid in arce fuit.
Namque heros caeli praetactus robore corda,
invia pro nobis ostia Ditis adit.
Taenariae fauces ferro et compagibus artis
obstructae, forti non patuere Deo.
Intus erant gemitus turbae exspectantis avorum,
et quoscumque mori lapsus adegit Adam.
Non tulit hanc faciem, justas exarsit in iras :
humanae stimulat viscera gentis amor.
Irruit, insigni labefactans limina dextra :
fit via vi, validis sternitur aula seris.
Obstupuere manus damnata, Erebique propago,
ultoris nimio procubuere metu.
Laeta cohors hominum redivivo pectore plaudit,
quando exoptatam sentit adesse diem.
Continuo turmas invadit, et agmina sternit :
praedam devictis omnibus unus habet.
Panduntur portae, licuit quas pandere nulli
ante, sed immotis claustra stetere locis.
Tertia lux pugnam Lethaeis sistit in umbris,
Martem cum dira Morte redemptor agit.
Spes fugit : interitum mortalis turba verentur,
de populi dubium est deque salute ducis.
At Sator aeternus, qui corde misertus ab imo
hunc bellatorem mittere sustinuit,
quem sibi progenuit similem, sine fine sine ortu,
et dextrae ad solium jussit adesse parem,
virtutem solidam infundit, vi suscitat artus,
imperium donec rupto Acheronte ferat.
Utque Leo princeps generosa mente ferarum,
(si magno exiguum composuisse licet)
dum catulos, partu quos protulit anxia mater,
tres somno luces jam videt esse datos,
clamorem immensum per opaca cubilia tollit,
unde locus tecti, saxa, nemusque tremunt.

Surgit progenies forti permota parente,
heredem patriae vivida mentis agit.
Sic tribus exactis per somni tecta diebus,
in vivis firmo pectore Christus adest.
Occlusasque animas secum taetro evocat Orco,
nec caelo regni meta nec exstat humo.
Ergo saevitie domita Plutonis iniqui,
morte fatigatis redditur alma quies.
Unus homo vitae spoliavit munere cunctos,
unus homo vitae munera restituit.
Scilicet intonso praestans hic vertice Samson,
qui frangit portas, agmina caede premit.
Hic Goliam superat Davides magna minantem,
torsit ubi pulsum verbere funda globum.
Hic avido Ceti nunc redditur inguine Jonas,
qui sociis laetam fert moriturus opem.
Iccirco cives simul a Phlegethonte reducti,
consortes tantae jam bonitatis eunt.
Circa perque thronum meliori corpore aguntur,
et dulci repetunt proelia facta choro.
Nos etiam superas sedes ascendimus una,
inseruit Christo quos bene culta fides.
Ille velut caput est, sic ipsa Ecclesia corpus :
singula membra sacro cum capite astra petunt.
Venerat excelsam resonans comitatus ad arcem,
qua mundi omnipotens dirigit auctor opus.
Libera, casta, potens, sancta, infinita Deus mens,
per natum agnosci qui sua sceptra jubet.
Vultu, quo mundi clemens opus omne probabat,
omnia per Verbum dum bene facta videt ;
suscipit advectum tanto e certamine Iesum,
quaeque cruore pio sparsa caterva volat.
Inde sui partem nota in regione locavit
jusque dedit, vasta quod dedit ante manu.
Tum genus humanum Stygia de peste receptum,
quod jam nil priscae pectore labis habet,
immortale latus fecit stipare per altum,
gaudia pro variis ferre superna malis.
Quis mihi laetitiam, quis jubila vocibus edat ?
Sancta voluptatum quis mihi dona canat ?
Non corruptibili non hic erit ore sonandum,
haec quondam aetherio carmine lingua ferat.
Subjicitur pedibus pressi violentia Ditis,
et quoscumque hostes Tartara nigra tenent.
Cum duce divino jam nos dominamur in illis,
haec vi sunt nulla nec nocitura dolo.
Poena homini impendens auctores saevit in ipsos,
et gravius meritis exagitata furit.
Talis erat species Patris atria summa petentum,
sic redit ad priscum perdita turba decus.
Interea capiunt dum nota palatia regem,
laeta etiam tristi prodit imago solo.
En duo praecones densis e nubibus adsunt,
vestis ad illustres defluit alba pedes.
Suavis in ore vigor, frondem dat dextera olivae ;
telluris recreant nuntia amoena sinum :
"Solvite corde metum, partam spectate quietem :
Pax implet terras, Pax nitida astra fovet.

Ille quidem ex oculis sublatus in aurea tecta,
aequalis magno cum genitore sedet.
At simul exsistit vos inter numine praesens,
nulli conspicuus singula gesta videt.
Omnia sunt Nati, sunt omnia plena Parentis,
horum cum superis Spiritus ima replet.
Ille velut vestri causa conceptus in alvo,
sic de virgineo corpore factus homo est.
Utque idem turpi dira est in stipite passus,
sic Erebi e tumulo pallida castra subit.
Surgit uti stratis rigidi legionibus Orci,
sic jam stellatas occupat ille domos.
Omne hoc pro vobis geritur : contagia passum
tantae molis erat restituisse gregem.
Qua ratione poli tetigit penetralia victor,
hac olim rediens conspiciendus erit.
Digna etenim vobis cum majestate redibit,
et merita aeternus laude patebit honor.
Judicis officium quando lux ultima poscet,
lux optata bonis, heu sed acerba malis.
Multiplici cantu clangores exorientur,
per freta, perque solum, sidereosque lares.
Omnia sunt hominum tunc conventura sub unum,
proque opere accipiet praemia quisque suo.
Vita in sublato quae vestra abscondita Christo est,
illa clarescet tunc manifesta die.
Clarescet sponsus nova per miracula, raptam
qui proprio sponsam sanguine promeruit.
Interea vigiles horam exspectate beatam,
furtivo veniet quae taciturna pede.
Quodque suae mortis monumentum insigne reliquit,
participes salva commemorate fide.
Nempe requirendum corpus sub pane sacrato,
quique mero insinuans sanguis habere datur.
At quae destillat moribundi vulnere lympha,
corpora Baptismi rore novanda lavet.
Is mediator erit, tutor, rex : iste Sacerdos
pro vobis orat conciliatque Deum.
Sic patriam amissam petite, has apponite scalas :
his gradibus divum limen adire licet."
Nuntia finierant juvenes, et in ardua tendunt,
inque modum flammae se per inane levant.
Nunc age quid dubitas, aut gens humana vereris ?
Ad mala quid tantum non diuturna paves ?
Christus ab aerumnis credentes liberat omnes :
hunc animo amplecti nil dubitante decet.
Vicimus, hac tandem reparata est gloria pugna,
cum socio praedas agmine ductor habet.
Sed quid rursum alii securas ducitis horas,
nec merita haec grata volnere mente juvat ?
Nec subit hic ardor, venienti occurrere Iesu,
caeca nec ad dictam corda parare diem.
Creditis avectum ne electos visitet ultra ?
Neve hoc perficiat, quod mora tardat, opus ?
Non haec pigra mora est, verum patientia Christi,
aequus enim nobis longanimisque favet.
Nec de seducta quemquam vult gente perire,
sed recto justas tramite inire vias.

Quare agite o spretis curate aeterna profanis :
   pro luteo offertur caelica vita statu.
Quam minime speras erit hora optata salutis,
   quam minime speras perditionis erit.
Felix, ad reditum qui tempore providus omni,
   corda sacrae fidei cognitione parat.
Infelix nimium, quem incautum haec obruet hora :
   non hic placatum sentiet esse Deum.

## QUERELA TERRAE. DE INGRATO HOMINUM GENERE.

P2_04

Si quis adhuc superest, vasto delectus ab orbe,
   qui pietatis opus justitiamque colit,
audiat hic gemitus, vultu turrita madenti
   quando hominum Tellus impia facta queror.
Audiat, utque fidem lugubria dicta merentur,
   sic discat nostris condoluisse malis.
Vos ignes caeli vigiles, et lampade circum
   omnia qui lustras Sol mihi testis eris,
hactenus a primo positarum semine rerum,
   quo fuerim totos pressa labore sinus.
Cum sator altitonans, humanis usibus aptam,
   immotamque graves jussit obire vices.
Exin quae gremio nostro gens prima resedit,
   sic meritae, matris nomina sacra dedit.
Hiccine matris honos ? Illud venerabile nomen
   ilicet invisum, sub pedibusque fuit.
Vix pater Eoos gentis penetrarat in hortos,
   negligit illecebris jussa superna suis.
Hinc ea prima mali labes : quas crimine foedo
   promeruit poenas, contemerata luo.
Nempe hominem generarat humus, vitandaque ligni
   arcano jussu munera protulerat.
Effuso rursus pelago, caelique ruina,
   plector ego ob furias incola saeve tuas.
Hic, me perdiderat primum licet arbore Adamus,
   inclusum servo, perdita ab imbre, genus.
Quod superis caelum, pictisque volucribus aer,
   piscibus unda, hominum pro grege, tale solum.
Semine jam simili, vitamque operante calore,
   cum generant speciem Solque paterque suam :
excipio sobolem, matrem fetumque tenellum
   amplector gremio commiserata meo.
Utilibus tunc cura cibis educere pignus,
   in quo sublustris regnet imago Dei.
Quos resero fructus, quot fida ministra sapores ?
   Nutrimenta locus quot bona quisque parit ?
Ergo ubi de cunis matura adoleverit aetas,
   incipit altrici dona referre suae.
Dona, quibus nimio trepidant mihi corda dolore,
   tactaque rupturam viscera saepe trahunt.
Ecce ferox monitis audet diversa parentum,
   et temere abjecto captat iniqua jugo.
Assuetusque malis, infans, juvenisque, senexque,
   sidera cum divis impietate movet.
Inde cutem rapido scindit crudelis aratro,
   diraque granorum vulnera sanat ope.

Nil minus indulgens, insigni fenore merces
reddo depositas, hoc nihil ulta scelus.
Has statuisse Deum perhibent mortalibus escas ;
scilicet his umbris abdita culpa latet.
Servit avaritiae, cultor, foenusque nefandum
multiplicans, turpes exstruit ore dolos.
Vellit caesariem de vertice crebra bipennis,
arboreae pereunt igne crepante comae.
O quoties rigidi scelera inter tanta coloni
his fontes cernunt exsiliisse genis ?
Nec satis hoc : ferrum cudunt e corpore nostro,
quo lacerent artus horrida turba meos.
Ergo firma piae confringunt ossa parentis,
tunc via per scopulos inguina ad ima patet.
Cum Baccho varios rimantur carne liquores,
e scrobibus dulces urna reducit aquas.
Hinc rutilum venis audax fur detrahit aurum,
eque uteri latebris tecta metalla fodit.
Venatur celebres gemmas, spoliatque lapillos,
ornet ut insignes praeda decora manus.
Quo digitis saltem reliquis praefulgeat unus,
excruciat rigidus brachia mille labor.
O quae flagitii species non surgere visa est,
dives ubi partas condit avarus opes ?
Ejicit iste Dei scelerato pectore curam :
nempe repleta suum detinet arca Deum.
Nil pietas aut sacra valent, nil vincula legum,
turpia sed pecudum tempora more terit.
Atque utinam pecudum vitam pro more teneret,
non raro formae deterioris homo est.
Ad fontes vivos, viridemque ciconia pastum
languentem dorso fertque refertque patrem.
Sic nutritori praebens alimenta vicissim,
mortales grata de bonitate monet.
Tutatur catulos frendens aper, atque leaena,
terribili amissos tigris amore petit.
Ast inter gentem, ratio quam lenit et ornat,
creber Telegonus nascitur, atque Nero.
Contra, Cambyses natorum sanguine gaudet,
Limonisque ferox viscera carpit equus.
Si servanda foret nummis sobolesque (.......) (vers lacuneux)
perderet hic sobolem, perderet illa patrem.
Prodigus interea male partum decoquit haeres,
et Thais fructum blanda laboris habet.
Saepius incestu vetitaque libidine fervet ?
Thesaurisque meis exigit omne nefas.
Ast alius, casu quem fors submersit egeno,
arte bona, rutili dum nihil aeris habet,
molitur fraudes alias fucoque latenti
in sua vicinas commoda radit opes.
Aut ubi delusus, specie nil proficit ista,
lucifugus silvas, caecaque lustra subit.
Mox rapit, et dirum jugulat subigitque fateri,
hospita sic fertur feta latronis humus.
Hunc pudor, atque ultrix a crimine poena coercet,
ima sed illapsum pectora virus alunt.
Utque tegat facinus, versuto decipit ore,
et gladii vires perfida lingua capit.

Aestuat intus amor foedus lucrique malique,
alteriusve inhiat mens violata toro.
Hoc cupit, hoc optat tacite, sic saucius ardet,
plena boni facies, cordaque plena doli.
Quos non ebrietas gignit vesana labores ?
Haec homines Circe turpia monstra facit.
Mersus Alexander Lenaeo gurgite amicos
caedit, et indignis polluitur vitiis.
Amphora regnorum praeses de stipite pendet,
non ut vivat homo natus, at ipse bibat.
Vina animis tollunt fomenta impressa bonorum,
tollitur infesto Troja sepulta mero.
Sanguine se nostro saturant ; mox caede peracta
sorbetur tepidus matris ab ore cruor.
Hoc ubi stelligera Phoebus prospexit ab arce,
obfuscat roseos cena Thyestis equos.
Lunaque rorantes oculos avertit, et amplo
indignans orbi lumina blanda negat.
Odit et ipse poli rector, sua fulmina mittens :
hoc quassat tonitru, tangit et igne latus.
Incusat solam, solam exsecratur in illis,
semina quae rerum quattuor esse dedit.
Saepe aliquos, factis ultra ne nomina laedant.
Abscondo specubus plena dolore nigris.
Ad Styga sic Chore, Dathan, sic tendit Abyron,
legiferi infestant dum sacra sceptra senis.
Proque aliis vasto sorbetur Curtius antro,
nusquam descendens Amphiaraus agit.
Omnia si videas per me producta, videbis
me penitus generi consuluisse tuo.
An bene de vobis operosa elementa merentur ?
Proxima dum tibi sum, commoda prima fero.
Grandine cum rigida tepidos aqua parturit imbres,
in rabiem fluctus et freta versa ciet.
Intonat horrificis condensus nubibus aer ;
saepe etiam sparsa tabe nocere solet.
Pascuntur celeres flammae tectisque virisque,
impete ut abrupto massa corusca furit.
Ast ego non homini modo convenientia gigno,
damna sed inverso more aliena levo.
Sic infecta cavos quando subit aura recessus,
semine ab infuso nata venena gero.
Tuta sed adjunctis illis post pharmaca fiunt,
sic aliena meam noxa resignat opem.
Pestifer humanos anguis cum sauciat artus,
exsulat, atque in me non habet inde locum.
Et licet abdiderim procul haec mala : perfidus ultro
exigit, ac fratris funere gaudet homo.
Sic quodcumque bonum sub me natura retexit,
cogitur inversis usibus esse nocens.
Haec injusta tamen multa pietate rependo,
nec linquo in misero funere turpe genus.
Tunc primum perculsa sinus, uteroque patenti
abstrudens vitium, pignora grata tego.
Nec non et titulos monumenta perennia servo,
adjiciens aevo saecula plura brevi.
Inde ubi complerunt resoluta cadavera finem,
pulveribus nostris assimilata jacent.

In limum, speciemque meam mea corpora reddo ;
namque hominum coetus prodiit ortus humo.
Non nullos natura mihi tamen invidet ultrix,
et scelus ad poenas ipsa miserta trahit.
Aere sic medio quosdam rapit atra volucris,
atque hos per latum mittit inane rogus.
Quis dolor hinc nobis ? Quoties mihi fulminis ignes
exopto trifidos, interitusque diem ?
Heu rerum faciem, crudelibus occubat umbris,
aut vitam in tenebris anxius ille trahit ;
qui docet, atque invisa boni vestigia suadet,
et divos vera cum pietate canit.
Auribus ingratum nomen justique, Deique :
spirant continuum turpia corda scelus.
Ergo veni, per quem moles haec condita, Christe :
ex nihilo factam me nihil esse jube.
Dissue compagem, palmas ostende cruentas,
convulsum pectus, vulniferosque pedes.
Sentiat aeternas vires indigna propago :
majestas lucem profer at ampla suam.
Haec ego maesta precor, scelerum foedissima mater,
iras dum nequeo sustinuisse tuas.
Funditus exstinguar, fundo dum turpiter imo
faex injustitiae prodit in alta meae.

IDYLLION IN ELECTIONEM INVICTISS. IMPERATORIS FERDINANDI PRIMI.

P2_05
Dum rapidas Maeni carmen meditarer ad undas,
obvia se visu talia gesta ferunt.
Egressus silvis, quibus ardua regna sub orbem
clauduntur, Cechi nomine clara ducis ;
rauca fluenta Leo dicti pervenit ad amnis,
virtutisque suae conscia signa dedit.
Huc Jovis armigeram videas tranare volucrem,
quae merito summum jus per inane tulit.
Saecula jam rostro signans matura recurvo,
illius ante pedes fessa resedit humi.
Protenus accelerat saxoso vertice gressum,
Pan, calami sonitu gaudia blanda movens ;
et viridis rutae succinctus tempora fronde,
personat invictae mollia vota ferae.
Mox prope debilior nigris procumbit in umbris,
Neccarei linquens gurgitis arva Leo.
Accersitque Aquilam Boreae per flabra minorem,
qua petit Oceani spumeus Albis aquas.
Ambo rectorem nutu venerantur amico,
et ritu sceptris conveniente favent.
Singula dum miror : tres incessere per herbam
addictae sacris innuba turba deae.
Clio, quam Rhenus genuit commixtus Agrippae,
veste crucis nigrae conspicienda venit.
Hanc, inter faciles pulcherrima Naiadas Aegle,
per loca festivis est comitata sonis
extulit et manibus tabulam, pater ipse Mosellae
cui rubeam pulchra sculpserat arte crucem.
Pone Napaea subit, diverso germine ludens,
Willigisi dextra volvit agente rotam.

Omnes unanimem Regi tribuere favorem,
   omnia solius supposuere jugo.
Haec ita suspenso meditor cum pectore : regnans
   Fernandus placido sidere Caesar adest.
Caesar adest, divos mea Musa precare benignos,
   et laudes facili numine funde novas.

## DE STELLA QUAE MAGIS APPARUIT. HIERONYMO LAUTERBACHIO MATHEMATICO.

P2_06

Sidera qui tacito servans labentia caelo,
   eventus rerum discutis inde novos.
Quique doces, Superum velut a virtute locorum,
   non dubias vires inferiora trahant.
Fare age : quale recens summo nitet aere signum,
   dum Maria illaesa virginitate parit.
Dic, matutino caelum conscenderit ortu,
   extuleritve suum Sole cadente jubar.
An prius immersum vicini lumine Phoebi,
   lucida nunc claro proferat ora polo.
Num positu vario varias educere causas
   possit, et insolitas progenerare vices.
Anne velut genitor vitali lumine Phoebus
   dividat in partes tempora certa suas.
Aut ceu Luna soror, fratri succedere jussa,
   humorem foveat, mensibus aptet equos.
Seu velut horrifica metuendus luce Cometes,
   exerat ignitum crine rubente caput.
Infirmos nimium tali de lampade sensus,
   nil hic naturae vis operantis agit.
Officio Phoebum superat, Lunamque triformem,
   quae coepit passis currere flamma comis.
Commoda subjectas offert majora per oras,
   quam de signifero quodlibet orbe genus.
Non illam posuit ceu Gnosida Bacchus Olympo,
   nec velut Andromede vel Cynosura micat.
Tendere iter liquidum, populisque nitescere jussit,
   singula qui nutu trinus et unus agit.
Ille Deus, cui justa placent, justissimus unus
   qui poena atque odio coepta nefanda premit.
Hanc dedit occulti miracula prodere fati,
   nuntia gratantis sacra referre poli.
Qua regione puer mortali corpore Christus
   rettulerit toti gaudia dempta solo.
Laesaque monstrarit sedari numina patris,
   dum fieret tenuis filius ipse caro.
Pergite, ab Aurora gens primum accita rubenti :
   Principis aeterni limen adire datur.
Munera surgenti date convenientia regi,
   et morituro homini, donaque danda Deo.
Ite citi : primum manifesta haec gratia vobis,
   per geminam Solis mox celebranda domum.
Felices nimium reges, nimiumque beatos,
   queis caeli leges noscere cura fuit.
Quique viis superum sublimi mente vagati,
   auctorem in terris post adiere Deum.
O utinam arcano lucem qui porrigis astro,
   in nostrum simili sis bonitate genus !

Sis animo simili, magni Deus arbiter orbis,
regnat amor gravius, sit licet ira gravis.
Cernis ut obducant nigrantia nubila verbum ?
Ex animis sacram nunc rapuere diem.
Da miseris aliquos miseris da gentibus ignes,
ad rectas ducant qui vaga corda vias.
Ne duce decepti vestigia falsa sequamur,
praestemusque aliis dona neganda Deis.
Atque ita dum caelum petimus promissaque regna,
praecipites Stygio mors ferat atra lacu.
Suscipe quod tua nunc profert Ecclesia munus,
suscipe et ad patrem, Christe benigne, refer.
Aeternas hodie grates, aeternaque vota,
pro meritis solvit turba redempta tuis.
Numine cum gemino soli decernit honores,
a nullo firmam te nisi quaerit opem.
Quae peragit fragilis tibi gens peccata fatetur,
admissumque gemit plena dolore nefas.
Non tamen occumbit : fidens spe nititur acri,
crimina purgari sanguine nostra tuo.
Hinc animo statuit, meliorem degere vitam,
et quantum potis est caelica jussa sequi.
Suscipe, et afflictae propera succurrere turbae,
e gemitu miseros ad tua regna voca.

WOLFGANGO LAZIO HISTORICO CAESAREO.

P2_07 Dum libet Austriacae tractus invisere gentis
et loca Pierio quaerere amica gregi,
tu mihi, doctrinae multos qui munere vincis,
quem lato virtus evehit orbe, fave.
Mens sincera jubet vestrae succedere terrae,
e multis animo carpere multa locis.
Ingenuas inter vitam consumere Musas,
non uno assidue ducere fata solo.
Concha velut laribus semper sordescit eisdem,
dum segni patriam tergore portat humum.
Sic Ithacus mores hominum quia vidit, et urbes,
prudentis meruit nomen habere viri.
Qui varios primo casus expertus in aevo est,
huic varios fructus tarda senecta feret.
At quae cura mei, quaeve haec audacia, dicas,
ignotum scripto sollicitare rudi ?
Quae tua longinquis jam fama inclaruit oris,
pectoribus jecit semina prima meis.
Hinc pudor, hinc ardor te visere stabat honestus,
Ipse pudor prohibet, quae modo suadet amor.
Victus amore pudor : dixi, quid tuta timemus ?
Cura olim vates summa fuere ducum.
Sic placuit tuguri parvo sub culmine vates,
qui Latii duros vexit ad arva Phryges ;
paupere de tecto summam conscendit in aulam,
Augusti meruit principis esse decus.
Scilicet ingenium docta quod pollet in arte,
gratos praeclaris hos facit esse viris.
Tu quoque virtutes heroae ne exue mentis :
quodque facis Phoebi perge fovere gregem.

Sic tibi Fernandus pronos extendat honores,
sic labor aeternae floreat historiae.

DE COLUMBA ET CORVO EMISSIS EX ARCA NOHAE.

P2_08

Et jam lativago fluitans nova machina ponto,
mansuri generis semina lecta fovet.
Noha parens hominum genus, et genus omne animantum
abdiderat, laeso praecipiente Deo.
Extra perdiderant fluctus quodcumque creatum,
inclusos texto robore vita manet.
Demum se rabies subducere gurgitis alti,
terraque jam montes visa aperire suos.
Mittitur auxilii Corvus pro sorte ferenda,
quae forma ac tristi gutture terret avis.
Nec redit hospitio dirum mortalibus omen,
nec sacra praesentis nuntia portat opis.
Innocua subiit simplex bonitate Columba,
exemplum socii fida columba tori.
Ore pio ramum gestans viridantis olivae,
ad tectum sero vespere grata redit.
Edocet irati placatos aequoris aestus,
et sanctae pacis signa referre Deum.
Haud secus, ira gravis sontem quia fervet in orbem,
absumit, tabes quos male foedat Adae.
Ipsa sed immensis Ecclesia molibus acta,
innatat, extremi nescia naufragii.
Hostilesque minas, malesuadaque dogmata vincit ;
submergi rabido mersa furore nequit.
Quaeritur in tanto rerum discrimine Moses,
unde homini requies pendeat, unde salus.
Ille ministerium peragens culpaeque necisque,
exauget nostros horridus ore metus.
Non hic indicium fremitus cessantis ab alto,
libera nec parta turba quiete sumus.
Conscia mens trepidat, magis et magis ingruit horror :
hinc mors, hinc Satanas, nostraque culpa furit.
Volvimur in dubio, portus attingere nusquam est ;
Mosis ad indicium gens peritura sumus.
Mittitur e supera Christus placidissimus arce,
qui refer at certas ad pia corda notas.
Colligit ipse sibi mortali ex agmine sponsam,
perpetua fidus quam bonitate fovet.
Hic Evangelii sanctissima munera defert,
sub viridi surgens gratia fronde latet.
Jamque senescenti mundo dat nuntia vitae,
ingens commoti ponitur ira Dei.
Haec olea ambiguis veram dat cernere lucem,
nostraque clementi vulnera sanat ope.
Jam pax, jam requies, jam vita reducta sub orbem ;
hinc mors, hinc Satanas, culpaque strata jacent.
Quosque sibi insertos Ecclesia jungit, ab illo
pignore, caelituum commoda laeta ferunt.
Gratia, Christe, tibi pressam dum tendis ad arcam,
innocuusque novum pandis ab ore statum.
Fac foribus tandem salvi egrediamur apertis,
et seriem capiant jam nova regna suam.

## DE HYAENA.

P2_09

Qua premit ignivomus sitientes Cynthius Afros,
   terribilis fetum nutrit Hyaena suum.
Turpiter alternis sexu mutatur utroque :
   mas ita, parturiens tempore mater erit.
Assistens stabulis, advertensque aemula voces,
   humano discit fingere verba sono.
Pastoremque foris noto jam nomine clamat,
   fraudibus excitus, praeda petita cadit.
Mille oculis species transformat : busta recludens,
   ingluvie dira corpora humata vorat.
Non obstructa gravi latratu guttura solvunt,
   tangit ubi vigiles ipsius umbra canes.
Ter quodcumque animal truculento respicit ore,
   haeret, et ex isto nescit abire loco.
Indomitae fuerit quando conjuncta leaenae,
   produci monstrum triste Crocuta solet.
Hoc quoque mentitur linguam mortalem ; aciemque
   perpetuo obtutu continuare solet.
Praeterea lapis est oculis insertus Hyaenae,
   qui linguas hominum nosse futura facit.
Quis neget hac Satanam natura posse notari ?
   Dum validum assiduo nutrit in igne genus.
Nunc injustitiae vacuum se pignoris offert ;
   mox animum crimen parturientis habet.
Subdolus adjungit sese, qua Ecclesia verbo
   pascenti gratum praebet ovile gregi.
Scripturaeque locos fucato nomine promens,
   egressos tuta sede necare solet.
Quam misere incautum decepit voce colonum,
   dum vetitas horti carpere suasit opes ?
Quam varias species rerum pro sorte frequentat ?
   Ludere mille viis, lusus et ipse, valet.
Inde fidem putri defunctam pectore quaerens,
   in sua jam foedum jura cadaver agit.
Heu, quoties visum est, hunc obmutescere in umbra,
   qui Christi excubias pro grege jussus agit ?
Dum tenebris totum involvit, lucrumve metumque
   objicit, aut magni flebile honoris opus.
Perlustrat ternis mentes dum partibus aegras,
   (quando adigit noxae paenituisse gravis)
haerent suspensae : non est sua meta Dolori,
   haeret justa Fides, cum Pietate nova.
Non ibi progressus, nec euntes semita ducit,
   ambiguum est qua sit parte vel arte salus.
Foedera magnates postquam sibi junxit iniquo,
   dicas terrestres Daemonas esse satos.
Insidias Stygio tendunt de more, nec umquam
   avertunt animos impietate truces.
Denique Tartareae destructo limine Dirae,
   cum jacet, et taetra perdita luce caret ;
lux exstincta piae praebet nova munera linguae,
   quae vero motu fata futura canit.
Gaudia venturae Christi pro caede salutis,
   et qui durabit tempus in omne status.

Vult Deus hasce notas sana ratione videri,
auctoremque suum talia facta probant.

## AD JOANNEM MAJOREM.

P2_10

Si veteris super at quaedam tibi cura sodalis
et memori nostrum pectore nomen habes,
accipe signatam properato carmine chartam :
haec a Corvino jam subiere tuo.
Dulcia per patriam postquam teris otia terram,
et sequeris docta mente Maronis iter ;
forte canis magnos heroo carmine reges,
aut patriae scribis Phoebo agitante situm.
Unde vel in caecos veniant nitida aera recessus,
quae rigida assiduo turba labore fodit.
Unde latens imis ceu vena in corpore terris.
Ingentes homini linea monstret opes.
Aut memoras causam, rauci cur flumen ad Oegrae,
fons calidas fervens ejaculetur aquas.
Aut cur sulpureas veniat medicina sub undas,
morborum varios sublevet unde modos.
Hinc tibi perpetuum speranda est fama per aevum ;
aurea sic scandit nomen ad astra tuum.
Interea viridi recubans ego lentus in umbra,
vitiferam late qua rigat Ister humum ;
imbelles Elegos fundo vernantibus annis
extremosque Echo narrat amica sonos.
Tum melior saevos mihi temperat aura calores,
floribus et variis picta renidet humus.
O utinam redeant felicis tempora lucis,
tempora Erythraeis significanda notis,
quando iterum patria nos conjungamur in ora,
et videat junctos quaelibet hora duos.
Quam bene, quam firmo foret hic mihi vivere vinclo ?
Mors sola eriperet te mihi, meque tibi.
Ipse ego Persarum sic rege beatior essem,
optarem Croesi nec mihi divitias.
Non nobis fidum praeferret Thesea Pluto :
cessaret Pyladen ipse probare Thoas.
Interea subitum (prohibet fors cetera) carmen
accipe, meque velut diligis, illud ama.

## AD SIMONEM MINERVIUM.

P2_11

Dum multa mecum dubius ratione revolvo,
dentur amicitiae qua mihi vincla tuae.
Diversis obstare viis perplura videntur,
notitiae tecum quae nova jura negant.
Scilicet aspectu nullo quia cognitus ante,
commoda proveniant nulla favore mei.
Quod nec canities juvenilia tempora cingens,
doctrinae dotes judiciique ferat.
Nec mihi Phoebeus tangat praecordia fervor,
suppeditans facili carmina docta stilo.
Sic ego ; de Clariis sed me soror una puellis
arguit, ac maesto talia verba dedit.

Quis negat accessus faciles doctissima ad ora,
quis pudor integrum vanus adire virum ?
Quo virtute magis quisquam praecellit, et arte,
hoc magis ipse aequi pectoris esse solet.
Mitius hic nemo sacros Heliconis alumnos
respicit, aut studiis dedita corda fovet.
Omina nominibus si quae mortalibus insunt,
indidit huic nomen summa Minerva suum.
Illa quidem studiis pulchras ornabat Athenas,
ingenio Boiis attulit ipse decus.
Res levis insani laudes inquirere vulgi,
res melior magnis velle placere viris.
Ergo Palladiae fautor celeberrime turbae,
dum sedes Avarum tangere fata jubent ;
annue conanti vestrum captare favorem,
janua notitiae fac sit aperta tuae.
Fama tui nostras dudum delata sub aures,
jam series aliquem cedat amica locum.
Sic quae dispensant mortalia stamina divae,
aspergant laeto prospera quaeque seni.
Sic et doctrinae studio, morumque decore,
erudiat natum blanda Minerva tuum.

LEONARDO PYLERO A WEITENEGG. ACADEMIA VIENNENSIS.

P2_12

Dum soceri, claraeque domus praeconia surgunt,
atque suo cunctis ordine fertur honos,
tu gener, haud quaquam nobis indictus abibis,
unus ut est sanguis, sic erit unus honor.
Hactenus indigno vexata Academia luctu,
quae jacui tristes pallida et aegra genas ,
e latebris specie foeda prodire verebar,
et mecum taciti plena doloris eram.
Fallebam solito tempus maerore diurnum,
solabar fletu noctis opaca meo,
audiit, ut domui casu successit Ederus,
audiit, atque imo pectore perdoluit.
Nec mora, proripiens sese spondebat amicum,
spondebat sacram magnus Ederus opem.
Verba fides sequitur : primum mihi robur ademptum
per lacera insinuat membra labore pio.
Hinc solidum renovat foedata per ora vigorem,
abstergens facili nubila nigra manu.
Mox alias vires addit, morboque represso,
praeclaros nobis jungit amore viros.
Ergo ubi sceptrigeras coepit Fernandus habenas,
Caesaris ante oculos jussa subire fui.
Primus hic Augusto sanam complexus amore,
hic responsa mihi plena favore dedit.
Inde ubi finierat praeclarum Carolus aevum,
junior accessum Carolus ille dedit.
Jamque valens, penetro magnorum tecta virorum ;
me sibi Caesareo quisquis honore capit.
Nunc tua progredior Maecenas digne sub ora,
te facilem cupio conciliare mihi.
Quae virtus animum doctrinaque dulcis adornet,
jamdudum nobis commemorata putes.

Nec frustra imperii sacro diademate cinctus,
   seria consiliis credidit acta tuis.
Aut te participem rerum vult esse suarum,
   qui Regale gerit Maxmilianus opus.
Huc ades, et nostri propensam suscipe curam,
   doctaque perdocto corde Lycaea juva.
Florida Teutonicas vernabam prima per oras,
   nec studio sedes clarior ulla fuit.
Praecipuum rursus se tollet ad ardua nomen,
   destituar tantis ni labefacta viris.
Quod mihi principium, qualis progressus, et iste
   jam status : e culto sunt manifesta libro.
Hinc quantum Caesar, magni regesque, ducesque,
   praestiterint vario tempore, nosse potes.
Vivit ut illorum nobis benefida voluntas,
   vestra leget serus sic benefacta nepos.
Quod decuit magnos heroas ab ordine longo,
   te nunc heroem posse decere puta.
Gratia per nostros aeterna exurget alumnos,
   gratia supremos non subitura rogos.
Flore suo video celebrem turgescere famam :
   ecce venit meritis candida fama tuis.
Vergit ad interitum, quicquid produxerit orbis ;
   virtus exitii nescit habere diem.

AD MICHAELEM GRYNAEUM. PRAESIDEM MELICENSEM.

P2_13

Jam vice mutata nova sors immittitur orbi,
   dum redit hirsutis bruma timenda comis.
Quae prius exstiterat cedit de rure voluptas,
   et nive pro laetis frugibus arva rigent.
Acre gelu densas constringit in aere nubes,
   candida pro guttae massa liquore volat.
Omniparens vivum quicquid natura creavit,
   sedibus hibernis jam loca tuta petit.
Hinc propiora sibi perquirit lumina Solis,
   fortiter in colubros quae pia saevit avis.
Hinc Palamedeae solito quae more volucres
   Pygmaeo generi tristia bella movent ;
effugiunt canas lecto ductore pruinas,
   excubiasque gerunt nocte ruente suas.
Ipse quoque injusti metuens mala temporis ursus,
   dum proprios artus pascitur, antra colit.
Visceribus tepidae vulpes latet abdita terrae,
   orta foris vitans frigora et insidias.
Nec non prae reliquis animal quod sanctius exstat,
   quodque anima et ratio pulchrius ornat, homo :
brumales cavet arte minas, dum tecta frequentat,
   et largo pinguem congerit igne focum.
Rustica nonne vides ut gens, aestate peracta,
   nunc humiles habitet nil onerata casas ?
Nunc ludi, facilesque joci, nunc gaudia curae,
   nempe venit facto grata labore quies.
Sic ego dum patria sospes tellure revertor,
   constitui solitos nunc habitare lares.
Inde renascentem Taurus cum duxerit annum,
   Taygete Phoebi lumine pressa cadet,

decedens alia ponam tellure penates,
ut peragat coeptas Musa retenta vias.
Scilicet ipsa meis non est ingrata Camenis,
dum fovet insignes clara Vienna viros.
Annue consilio praesul dilecte sereno,
fac dicar tantae pars quotacumque Scholae.
Ipse ego membra vigor donec vitalis habebit,
immemor officii non potero esse tui.
Quaecumque ingenio fuerit sollertia nostro,
tutoris famae sit studiosa mei.

## AD HENRICUM ECARDUM. POETAM.

P2_14

Lutea noctifugos produxit diva jugales ;
exoritur celebri plena decore dies.
Convenit hac laeto gratari corde sodali,
qui vice Thesea foedera nostra colit.
Cujus in adversis doleo, laetorque secundis,
gaudia cui duplico, tristia parte levo.
Aggredere o magnos, jam jam lux poscit honores,
nate Deo vatum, Pallade nate Dea.
Aspice mater ovans, citharaque sonorus Apollo,
praetendunt doctis laurea serta comis.
Te praeses Clarius Nympha Peneide donat,
quae viget aeternos fronde virente, dies.
Ut viget, et numquam foliis spoliata senescit,
nec percussa gravi fulminis igne cadit.
Sic tibi cum multo nomen florebit honore,
nec famam flammis livor aduret edax.
Ecce decus Celtis datur immortale poeta,
prima Viennensis lux erat ille scholae.
Primus Teutonicis lauro exornatur in oris,
divine imperium dum Friderice tenes.
Qualiter ipse virum superat jam docta per ora,
sic manet ingenium gloria viva tuum.
Nunc stantem bifido Parnassi vertice specto,
mirari tantas te superasse vias.
Aonas in montes ductus miratur ut ipse
Gallus, inaccessis culmina victa jugis.
Cum blandis choreas video te ducere Musis,
dicere "io Paean", ducere laetitiam.
En tibi se gemina Parnassus fronte recludit,
jure voluptatum nunc datur hora frui.
Altera pars Phoebo colitur, qui gaudia caelo
conciliat, magnos dum canit ante Deos.
Haec tibi materiam quae sunt caelestia praebet,
quicquid agunt divi, quicquid Olympus agit.
Altera sed rupes Baccho sacrata, per ipsam
mundi delicias inferioris habes.
Junge age suaviloquis jam nervis carmina junge,
fer quicquid caelo, quicquid et exstat humi.
Mox ita cum magno Nasone, sacroque Tibullo,
et vatum serie commemorandus eris.
Gratulor ergo tibi communem propter amorem,
ac vitae et studiis prospera fata precor.
Te Deus incolumem patrium deducat in orbem,
gaudia det sancti visere salva tori.

Fida marita serens communi e sanguine prolem,
corda gerens thalamo Penelopea tuo :
occurret, blandisque hilarem complexa lacertis,
cum nato lacrimas concita amore dabit.
Haec ubi contigerint, laetusque per otia vives,
haec praedicentis commeminisse decet.
Non umquam fidei subeant oblivia nostrae,
in geminis maneat partibus unus amor.

## AD JANUM.

P2_15

Jane, fores caeli reseras qui cardine verso,
quo duce, quod cepit perficit annus iter,
incute vim dictis, et voces omine firma,
officium praesens flagitat hora tuum.
Non injusta cano : tibi res ac tempora cedunt,
principium et finem disposuisse tuum est.
Obliquum vehitur versa vice Phoebus ad orbem,
sorsque recens laetam temporis intrat humum,
sors nova, cum tacita labentis origine Solis,
fautorem Aonii vexit ad alta chori.
Causa mei duplex voti, rerum ansa duarum,
dum novus Antistes, dum novus annus adest.
Da facilem cursum, gemino da gaudia vultu :
pars prior eventus omen habere potest.
Auspicio cedant cum primis ultima dextro,
felici Zephyro candida vela volent.
Sic ubi saeva die lucem jam bruma coercet,
atque Eoa cadens concitat hydra nives ;
tum feta Alcyone bis septem operata diebus,
et parit, et salsas educat inter aquas.
Non immane fretis fervet spirantibus aequor,
a Boreae insultu marmora tuta silent.
Navita suppressi ridens tum vellera Capri,
pinu audet gelidum sollicitare fretum.
Indulgent genitali operi Neptunia regna :
sentit placandos fluctus et aura dies.
Tunc hiemis donum conjunx pulcherrima profert,
et fructum insolito tempore mater agit.
Talem non alium servet natura tenorem,
dum praesul studiis extulit ora sacer.
Scilicet ut duro maris ales tempore gignit,
cum fugit, aut moritur, vel latet omne genus :
more pari nostrae per dura pericula terrae,
tranquillos Musis offeret ille dies.
Rara quidem Alcyone visu volat obvia ; rarus
Maecenas docto jam solet esse choro,
Jane caput duplici nutu in mea verba moveto :
fallor, an eveniet quod precor ? Ecce movet.
En quae tanta viro pulchrae virtutis honestas,
quantum doctrinae spirat ab ore decus ?
Quod decet, et justum est, uno sub pectore regnat,
caelicolae mentes huic tribuere suas.
Jane quid huic aciem nutu deflectis utramque ?
A fronte et tergo jam pia vota feres.

## DE SE FEBRICITANTE.

P2_16

Linquens decrepitum conjunx Tithonia sponsum,
   in caelo croceis vecta rubescit equis.
Jamque dies oritur terrae, nox humida cedens,
   occiduum fuscos in mare condit equos.
Ad solitum e lecto properat nunc quisque laborem,
   convocat e stabulis pastor ad arva greges.
Deserit exstructos Pandione creta penates,
   et querulis iterat tristia fata sonis.
Tempus erat visa confestim surgere luce,
   et studiis totos invigilare dies.
Aut riguo doctum conscribere carmen in horto,
   unde sit immenso nomen in orbe vigens.
Dum viret ingenium, majusque est mentis acumen,
   dum facili currit prima juventa pede.
At mihi defectae languent in corpore vires,
   debilis exigua mens ratione valet.
Non mihi Pieridum jam dulcia numina curae,
   non tituli, aut clari nominis ardor adest.
Hic jaceo, febri miserum confectus anhela :
   pallor in ore sedet, membraque languor habet.
Non epulas stomachus solitas assumere gaudet,
   non relevat dulcis lumina fessa sopor.
Saepe animum nobis exsuscitat impetus ardens,
   surgere, et Aonidum dulcia castra sequi.
At mihi surgenti robur non corporis ullum,
   nec solita ingenium dexteritate viget.
Labitur e digitis calamus, dum scribere tento,
   e sese cervix fessa reclinat humo.
Quid mihi cum morbo ? Quid vos crudelia fata
   impulit, indignis me cruciare modis ?
Anne ita perverso consensu nascor Olympi,
   ut mihi tam duras sors ferat atra vices ?
Utque juventutis florem consumere possit,
   armata innumeris febris acerba malis ?
Quin dolor e lasso procul effuge corpore tandem,
   Eumenidum de me quarta recede soror.
Sin aliter visum Superis, et longius aequum,
   tam dura in faustum me ratione premi,
nostra precor rumpas crudeli stamina ferro,
   Atropos, in vitam quae data jura tenes.
Non metuo mortem : rapido quia vectus ab Albi,
   nunc patriam tetigi (quamlibet aeger) humum.
Hic si fata volunt, nostrum mors finiat aevum,
   conservent cineres busta paterna meos.
Tunc mihi continget, frustra quod Naso petebas,
   quod tibi nec Cicero, nec tibi, Cyre, datum.
Ipsa manu mater morientes claudet ocellos,
   instituet clarum funus uterque parens.
Hoc mihi contingat quaeso : si pallida febris
   irarum finem non statuisse velit.

## AD AMICUM. DISCEDENTEM VIENNAM.

P2_17

Cras ubi lucifero stellae cogente recedent
   atque color rebus lumine Solis eri,

rura metalliferae Vallis tu frigida linques,
suscipiens longas ad loca nota vias.
Destituens canum maesta cum matre parentem,
his simul, et nobis causa doloris eris.
Vallata aggeribus fossisque incincta profundis,
quae stat in Austriaco celsa Vienna solo,
atque inter reliquas tantum fama eminet urbes,
Ausonio quantum Roma sub orbe potens :
te vocat assuetas quibus ipsa excellit ad artes,
formet ut ingenii dona beata tui.
Illic Castaliae disponunt serta puellae,
adventus curam sedula Pallas agit.
Ast ego, dum febris trepidos mihi concutit artus,
in patria vitam ducere cogar humo.
Inter inhumanum nunc est mihi vulgus agendum :
non dubito, hoc rigidos aequiparare Getas.
Non illis artes tenerae, doctrinaque cordi,
non stolidum oblectat mitis Apollo Midam.
Illis divitiae solae sub pectore regnant,
quae scrobibusque nigris effodiuntur opes.
Pertentare juvat genitricis viscera terrae,
atque per occultas ire redire vias.
Quo ruitis malesana cohors ? Audacia vobis
quae suasit Stygias sponte subire domos ?
Nonne sat invitos rapit ad sua Tartara Avernus ?
Quos tenet immani tempus in omne lacu.
Obvia num mens est ipsi vestigia ferre ?
Sponte sua vitae Dis nigra fata feret.
Retro ferte pedes : non illic blanda voluptas,
non choreae dulces, gaudia nulla vigent.
Errant per tenebras animae, gravis undique luctus :
Cerberus est illic, Eumenidumque faces.
Dura sed Aoniae minuent mihi tempora divae,
illarum sacris haec peragatur hiems.
His ego devotus subeuntia taedia pellam :
blanda solet morbum Musa levare meum.
Terrarum longis ambo sejungimur oris,
me tenet Oegra suis te tenet Ister aquis.
Distrahimur, nostri spes debilis exstat amoris,
divelli membris pars modo visa meis.
Te velut Euryalum Nisus complectitur alter,
ut fratrem Pollux Castora amavit, amo.
Vade bonis avibus, Superi tua coepta secundent,
eveniant faustis omnia tuta viis ;
sive solo gressus ponis, tibi Juppiter adsit,
sive Ister rapido te vagus amne vehit.
Cumque petita bono continges omine rura,
interdum curae sit meminisse mei.
Ne pigeat scriptis animum lenire dolentem,
et penna solitos commemorare jocos.
Tum pro me veteres salvere jubebis amicos,
notitiam quorum Misnia lata dedit.
Interea diram tollant mea numina febrim,
conjunctosque simul vivere fata sinant.

## AD AURORAM.

P2_18 v.1 Memnonis o croceo genitrix ades aurea curru,
2 huc ades ad votum lutea diva meum.
3 Quae vigil obscurae servas confinia noctis,
4 Luciferosque vocas praevia Solis equos.
5 Quae spargis tepidos sitienti rure liquores,
6 unde novas vires herba refecta capit.
7 Sit tibi praecipuus vasto licet usus in orbe,
8 officioque tuo commoda multa feras :
9 omnibus inferior tamen es, quas aureus aether
10 immensa caeli sustinet arce, Deas.
11 Nulla tibi surgunt usquam delubra nec aris
12 procumbit grata victima caesa manu.
13 At quia magna tibi cum blandis gratia Musis,
14 Musarum cultor nunc tibi dona feram.
15 Has postquam nobis humiles ereximus aedes,
16 quae spectant vultus luce oriente tuos.
17 Hic ego purpureasque rosas, et lilia cana,
18 sparsa tuo semper munera rore dabo.
19 Hic me Sol oriens, hic occiduusque videbit :
20 haec maneat studiis aula superba meis.
21 Ergo ubi pervigiles producis mane jugales,
22 insere sub parvam lumina grata domum.
23 Tunc vigor ingenii morbo cedente redibit,
24 quod rapuit febris tunc nova cura dabit.
25 Orta luce tui semper renoventur honores,
26 ut renovas laetos tu, Dea pulchra, dies.

## AD AMICUM THEOLOGUM.

P2_19 v.1 Ne tibi suspicio mentem confundat amara,
2 dum veniunt numeris verba redacta suis.
3 Nec mirum videatur opus, conjungere vati,
4 tractantem magni mystica scripta Dei.
5 Quod geris officium, quondam gessere Poetae,
6 de cultu populum qui docuere pio.
7 Nos quoque primaevae sequimur vestigia gentis,
8 dum ferimus nostris caelica verba modis.
9 His ego prima paro connectere vincula amoris,
10 par studium junctae semina mentis habet.
11 Altera causa subest patriae vicinia terrae,
12 quae geminos uno protulit alma sinu.
13 Quid celebris virtus, qua multum operante nitescis ?
14 Prae reliquis auro gemma ut amicta nitet.
15 Quid par consensus de religione tuenda ?
16 Id quoque amicitiae non leve pignus habet.
17 Desuper ista tuae fixa est constantia menti,
18 certus ut a justa nil moveare via.
19 Sed velut in rabiem Boreae viget obvia rupes,
20 praemia nec curae, nec tibi cura minae.
21 Perfer, et insultus patienter vince malignos,
22 Christophori ut medio vincit imago mari.
23 Quae tibi concessa est, non cuivis gratia venit ;
24 aut venit absque usu, si quibus illa datur.
25 Namque alii nostram jussi curare salutem,
26 quos doctrina regit, cognitioque Dei :

scripturae occultant sensus, aliena docentes,
   nam poenae trepidos huc metus acer agit.
Hos et avaritiae stimulusque impellit honorum,
   nempe Satan dotes contulit ipse suas.
Hic rudis, et sacra numquam formatus ab arte,
   clamitat, ac propria pro ratione furit.
Scilicet a primis seductus degener annis,
   seducit populum jam quoque, Christe, tuum.
Affirmat, renuitque, animo distractus egeno,
   heu levis illorum copia quanta strepit.
Sunt alii, exornat quos digna scientia causae,
   jamque diu coetus erudiere pios ;
verum improviso parte offenduntur ab una,
   inde quod erratum est mente tenace probant.
Quam stragem misero praebent quae scandala vulgo ?
   Quotque animas secum Tartara ad ima trahunt ?
Tu tamen hos inter, meliori numine ductus,
   e patrio Christus quae tulit ipse sinu :
corde doces stabili nec vis prosternit iniqua,
   per loca dira tibi semita tuta patet.
Ipse etenim pansis Christus te protegit ulnis,
   infirmum matris ceu fovet ala gregem.
Hoc tibi contingat cursu felice precamur,
   te ductore polos agmina densa petant.
Interea mihi redde vicem, complectere amantem,
   nec Musam socio foedere pelle meam.

## IN NUPTIIS LUCIAE.

P2_20

Jungitur optato castissima sponsa marito,
   nunc laetos facilis funde Thalia sonos.
Humani generis primus fundator Adamus,
   omne Dei puro corde probabat opus.
Non tulit omnipotens genitor, miracula rerum
   haec, uni tantum perplacuisse viro.
Rettulit ad melius, comitemque adjunxit amicam :
   sopiti costis exstitit illa viri.
Mansuro dum vita manet constringit amore,
   dat sancte cunctos foedera agenda dies.
Optima communi capiant et pessima sorte,
   mirantes celebrent optima facta Dei.
Inde homines casta surgebant lege creati,
   nectentes stabili vincula jussa modo.
Et nunc felicem puro hanc qui pectore normam
   suscipit, ac caeli jus sinit esse ratum.
Multiplices vario reddentur fenore fructus,
   esca tuae veniet parta labore manus.
Uxor fida domum casta ratione juvabit,
   educens sobolem pignora grata suam.
Apricas veluti vitis bona procreat uvas,
   eximia agrestis quam fovet arte senex.
Nascetur patria pollens virtute propago,
   dives uti fetu pollet oliva novo.
Jucundo prolis strepitu circumdata mensa,
   secludet curas, laetitiamque feret.
Nimirum vita est optabilis illa piorum,
   ista solet justis praemia ferre Deus.

Maxima serorum spectabis dona nepotum,
intrabunt fines commoda larga tuos.
Casta mihi Aoniae jam fundite carmina divae :
hac thalamum ingreditur casta puella die.
Almus honestatis fons, et pietatis origo
est, ubi concesso more paratur Hymen.
Legitimo conjuncta viro dulcissima nymphe,
jam licitum laeto pectore tange torum.
Sacra Deo, dilecta viro : status ipse pudicus
amborum, caeli sidera gratus adit.
Blanda precor coeptis aspirent numina vestris,
barbara sit thalamo noxa malumque procul.
Accepta quae luce poli, Lucia, refulges,
talia virtutum lumina funde diu.
Illustri reliquas vinces sic luce puellas,
stellarum ut nitidas roscida Luna faces.
Mutuus assit amor, vobis mens una duobus ;
effugiant placidum lisque furorque torum.
Lento aliena velut propago in stipite quondam
inseritur, geminis vis tamen una venit :
conveniant sic vestri animi, concorsque voluntas,
expleat immissa pectora pace Deus.
Nestoreos simul este dies, semperque beati
gaudia tum vitae tum memorate tori.
Ista potens magni faxit regnator Olympi,
siste igitur cursum Musa pudica tuum.

## PAN.

P2_21

Per juga piniferi postquam nemorosa Lycaei
festino Syrinx itque reditque pede,
atque feras jaculis celeres cursuque fatigat,
Ortygiam venerans virginitate Deam ;
monte suo residens hanc Pan conspexit euntem,
frondibus e quernis dum sibi serta parat.
Protinus ardenti Nymphae compulsus amore,
surgit : ad hanc gressus per nigra lustra movet.
Nympha fugit, Satyros nam senserat ante protervos,
perque nemus densum ceu levis aura volat.
Insequitur, cursu celerem praevertere tentans
coeptaque clementi dulcia voce juvat.
"Inter Hamadryadas nitido pulcherrima vultu,
siste tuos parvo tempore siste pedes.
Non ego quem metuas saevus non insequor hostis,
te potius magno territa amore colo.
Respice quem fugias, pellucida cornua frontis,
grata erit in nostro corpore forma tibi.
Pan ego sum, nemorum deus, et memorabile numen,
me silvae et ruris numina multa timent.
Lanigeras curo pecudes, pecudumque magistros,
hinc mihi cum votis victima saepe cadit.
Me petiere hominum pulchrae de gente puellae,
Naiades et Dryades me petiere virum.
Nulla tamen visa est umquam me digna marito,
sola places animo Nympha superba meo.
Ergo inhibe cursus, thalamum ne despice nostrum :
tu sperata meo nupta futura toro.

Tunc mihi pastorum turba exornata corollis,
per virides silvas laetum hymenaea canent.
Festa erit illa dies cunctis : nemus omne sonabit,
syringa uxorem ducere Pana deum.
O tibi quae laudes, quis honor, quae commoda surgent ?
Ipsa erit inferior nomine dia Pales."
Dixerat. Illa vagas properans Ladonis ad undas,
ante amnem ripis sistere visa fuit.
Accelerat, jam jamque avidus comprendere dextra,
pro Nymphae calamos corpore continuit.
Namque erat in cannas virgo conversa palustres,
speratam lassae dum tulit amnis opem.
Dumque ibi sub calamis trepidans suspiria ducit,
effecit querulum mobilis aura sonum.
Audiit illa Deus, vocisque cupidine tactus,
elicuit similes ore inhiante sonos.
Demum ait : "Ambobus tamen hoc commune manebit,
deplores maesto quod tua fata modo ;
ipse sed infaustos sic consolabor amores,
et tua perpetuo tempore membra feram."
Nec mora, dissecuit plures ex amne cicutas,
et cera junctas ordine disposuit.
Tunc tumido incedens passu per Maenalon altum,
inventa cantus edidit arte novos.
Undique concurrunt Satyri, Faunique faventes,
argutique probant munera docta patris.

## ACIS.

P2_22

Candida dum pulchris errat Galatea viretis,
et siccat madidas Sole calente comas,
forte sui gratas pervenit ad Acidos undas,
ad ripasque gemens talibus usa fuit.
"O mihi tantarum dulcis regnator aquarum,
o thalami quondam spes requiesque mei.
Quam grave nos miseros fatum disjunxit amantes,
quam nostro infelix sors in amore fuit ?
Dulcia sub viridi dum jungimus oscula rupe,
teque mens laetum detinet Aci sinus :
ecce venit monstrum diro cum murmure Cyclops,
ambos infesta perdere morte parat.
Tunc tua letali violantur corpora saxo,
cum roseoque simul sanguine vita fugit.
Quique modo fueras juvenis pulcherrimus, undas
per Siculum volvis versus in amne solum.
Cornua nunc gestas culmo redimita palustri,
pro roseo viridis nunc tegit ora color.
Immiti sed adhuc Polyphemo carior ipse es :
longe absit quamquam jam tibi forma decens.
Ille suo aerias tangebat vertice nubes,
horrendo incessu pulsa tremebat humus.
Qua potui dirum fugi ratione favorem,
atque odio nobis illius ardor erat.
Has tamen ipsa nudas multo dignabor honore,
gratius hoc patrio gurgite flumen erit.
Hoc ubi contigero, ripis prostrata morabor,
et dicam "Sedes has meus Acis habet".

Saepius ingrediar, nudataque membra lavabo :
jungar amatori sic ut amica meo."
Dixit, et immersa est undis ; amplexibus illam
excipiens placida devehit amnis aqua.

---

# ELIAE CORVINI JOACHIMICI EPIGRAMMATON LUSUS.

## 1 MAGNIFICO D. GEORGIO EDERO CAESAREO CONSILIARIO, ETC.

P2_23 Nec tantum magno gaudent Amphione Thebae,
nec tantum blandus mulcetur Arione Delphin ;
quantum tu nostram miraris, Edere, Camenam.
Ante graves ergo penetrabunt aethera Phocae,
et volucrum mediis pascentur turba sub undis,
ante sub Euganeos colles se proferet Ister,
et Padus Austriaci campos metabitur agri,
quam tua transierint ingratae nomina chartae.
Et jam rura, cavae valles, montesque supini,
et nemora, et fontes, carum mihi dicite Ederum.

## 2 DE FAMILIA COMITUM A SALMIS.

P2_24 Stemmata si quid habent antiqua ab origine laudis,
huic generi summae praemia laudis erunt.
Quis neget heroas praestanti sanguine claros,
scilicet ante ortus, Carole Magne, tuos ?
Per te namque potens illis Lotharingia cessit ;
tunc comites nomen promeruere ducum.
Ac velut antiquo stirps haec celebratur ab ortu,
sic virtute sua clarior esse potest.
Hic Mavorte viget, pollens praestantibus ausis,
et Gallo propria detrahit arma manu,
obsessamque gravi relevat maerore Viennam,
pro patria subiens pro pietate necem.
Ille domi pacem fovet, ut moderamine pulchro
publica res variis floreat aucta bonis.
Hic Christi miles, doctrinae clarus amore,
commissas sacro munere curat oves.
Hanc stirpem verae specimen virtutis habeto :
quisquis es integrae nobilitatis amans.

## 3 FRANCISCO KEVENHULLER, EQUITI HIEROSOLYMITANO.

P2_25 Ardua me variae jussit virtutis honestas
sacra Palaestini visere regna soli.
Dumque tot exhausi non fracta mente labores,
militis heroi nomen equestre tuli.
Inde domum repetens, post tot discrimina rerum,
amisi vitae dona decusque meae.
Membra mari infausto, terris sed fama tenetur,

felicemque animam Christus ad astra tulit.

### 4 LEONARDO PYLERO A WEITENEGG.

P2_26 Dum me pinifero vallata Boemia luco
evocat Austriacis in sua regna plagis,
non animo statui sedem mutare, priusquam
diceret extremum nostra Thalia vale.
Nam quia praecipuo Musas veneraris amore,
et studiis magna dexteritate faves,
te decet Aonios coetus celebrare vicissim,
ut post multa recens saecula vivat honos.
Tempus edax aurum, gemmas, monumentaque perdit :
virtutis praeco fine Thalia caret.
Ergo vale cultor surgentis summe Poetae,
commendata animo sit mea Musa tuo.
Qui jam coepit amor pectus conjungere vati,
sub placido semper pectore crescat amor.
Sic tibi concessum currat feliciter aevum,
prospera cum dulci conjuge fata feras.
Sic quam filiolam thalami superaddidit auctor,
pro patrio clemens servet amore Deus.
Floreat ut quondam celebres heroidas inter,
atque animum referat cum genitrice patris.
Haec precor, haec firmet rector stellantis Olympi,
perpetua cujus sub bonitate vale.

### 5 DE VIENNA AUSTRIAE.

P2_27 Hic ubi Vindobonae steterant magalia quondam,
extulit invictum clara Vienna caput.
Qui populus, quae divitiae, quae splendida tecta,
quot studii species formaque amoena situs
dicere res gravis est, gravior depingere versu,
Teutonico praestet commoda quanta solo.
Marte Solymmanus nostrum grassatus in orbem,
victrici profugum vertit ab urbe pedem.
Et nunc quod patriis Christum profitemur in oris,
nostraque sunt Scythico libera colla jugo ;
muneris omne tui est, portus divine Vienna :
Teutoniae voluit te Deus esse seram.
Hanc ubi vi rabida vel fregerit arte tyrannus,
Christicolum populis qui fera bella ciet,
intima totius regni penetralia rumpet,
liber sub Getico jure Alemannus erit.
Christe, tuam gentem tali defende sub ala,
ut surgant regni plurima membra tui.
Ut tua Germanis celebrentur nomina terris,
teque poli nostrum cantet in arce solum.

### 6 DE EFFIGIE GEORGII EDERI.

P2_28 Imperfecta senis Coi quae morte remansit,
absolvi potuit nullius arte Venus.
Integra sic fieri species tua nescit, Edere,

ardua dum virtus effugit artis opus.
Cura animi subeat pictoribus atque poetis,
Hunc bene qui referet, victor Apellis erit.

## 7 DE EODEM.

P2_29
Turgidulas digitis pictus puer extulit uvas :
ad tabulam fraudis nescia tendit avis.
Res monet auctorem : praedam captasse volucres,
ultrices pueri nec timuisse manus.
Sic te pictorem moneat, quod corporis ipsam
effigiem vere, sed sine mente facis.
Si quam forma tegit, virtutem pingere possis,
artificum victor non mihi pictor eris.

## 8 IN HONOREM MATRIMONII.

P2_30
Labe carens genitor dum lustra pererrat Adamus,
et probat auctoris splendida facta sui,
adjunctam nutu supero sibi prospicit Evam,
ante creatorum quam probat omne genus.
Agnatam proprii sensit quia corporis illam,
eque viri membris nata virago fuit.
Haec benefida latus (nam prodiit inde) frequentat,
quoslibet in casus laeta subire comes.
Dulcis laetitiae, dum res stetit integra, consors,
tristitiae consors laeta sequentis erat.
Mens eadem geminis, amor unus, et aequa voluntas ;
diversi gemina carne, sed una caro.
Indidit hunc seris natura nepotibus ignem,
connubii sanxit dum sacra vincla Deus.
Primus ut ille parens sociali junctus amore,
sustulit e casto pignora grata toro ;
unde propago hominum tulit incrementa, Deique
propagatus honos religione fuit ;
sic gens legitimos producat postera nexus,
hinc ut vita homini surgat, honorque Deo.
Felices igitur, caelestia jussa secuti,
conjugii sacrum qui coluere decus.
Illis castus Hymen divorum gaudia praebet,
ipse auctor thalami, protegit, ornat, amat.
Illis dirae etiam pia sunt solacia curae,
impolluti agitur nobile tempus Adae.
Numine praesenti, qui talia foedera sanxit,
imposita lassis sub cruce dexter adest.

## 9 IN TUMULUM SORORIS.

P2_31
Flosculus in viridi tener ut succiditur agro,
qui tulit e molli vix sua colla solo :
sic dilecta soror primae sub flore juventae,
indignae mortis saucia falce cadis.
Ut tamen hic iterum suavi sub vere resurgit :
e tumulo quondam sic tua membra feres.

## 10 AD PHILOMELAM.

P2_32

Si vacat a studiis, magnorum mole laborum,
si fugit ex animo cura molesta tuo,
perlege silvestrem, vir praeclarissime, Musam,
carmina nec digitis excute nostra tuis.
Qui solus retines Musarum numina ad Albim,
cujus ab ingenio Teutona terra viget.
Dum redit optati sub terras gratia veris,
et gracilis feta flosculus exit humo,
Albiacis animo facili prostratus in herbis,
agresti pango carmina pauca sono.
Haec ego, ni pigeat tenuem legisse Camenam,
duxi judicio subjicienda tuo.
Cumque tibi libuit, vacuas in luminis auras
cum dulci reducis tempore veris eant.

## 11 DE VITA ET MORTE HUMANA.

P2_33

Proh hominum curas, et inevitabile fatum,
heu dolor, et varii triste laboris onus.
Omnia, prime parens, dederas haec praemia nobis,
cesserat e jussu mens ubi caeca Dei.
Nascimur, et primas vagitu carpimus auras,
mens praesaga mali praecinit omne genus.
Vivimus, et tristi luctamur nube laborum,
sors movet indignas luxuriosa vices.
Hinc morimur, fletu superis concedimus oris,
sic finis, medium, principiumque dolor.
O decus, et requies, et inenarrabile donum
laetitiae, terris o bene parta salus !
Omnia, Christe potens, nobis haec dona dedisti,
paruit arbitrio mens ubi pura patris.
Exin felici mortales edimur ortu,
dum frater nobis natus es ipse Deus.
Per genus omne mali felix traducitur aevum,
virtutis cultu, cognitione Dei.
Mors adimit vitam, Christi mors reddidit ipsam,
vivere qua liceat mors fera pandit iter.
Nate patris summi, nostras tu dirige mentes,
ut, duce te, bene sit vivere, dulce mori.

## 12 AD AMICOS.

P2_34

Cras ego Leucoreae discedens moenibus urbis,
aeriferam vallem patria rura petam.
Ergo valete, mei turba o dilecta sodales ;
quisquis es hac nobis notus in urbe, vale.
Non ego, num redeam vestras sum certus ad oras,
longius aut posthac docta Lycaea colam.
Forsitan in patria rumpent mihi stamina Parcae,
aut erit in longis mors obeunda viis.
Hora etenim extremae nulli stat cognita lucis,
et varios casus tristia fata ferunt.
Cernitis ut lassos febris confecerit artus ?

Ut trepido molem crura gravata ferant ?
Sive tamen redeam, seu non, mea turba valete :
immemores numquam nominis este mei.

## 13 DE FEBRI SUA.

P2_35
Quid cum sidereo jam Sirius ardet Olympo,
et flammis terrae corpora anhela premit,
ipse tamen, quamvis jaceam sub sole calenti,
concussus magno frigore membra, tremo ?
An mihi tristis hiems sub dulci aestate ferenda ?
Atque aestas hiemis tempore dulcis erit ?
In me igitur cursus vertet natura retrorsum ?
Conspirent leto versa elementa meo ?
Parce tamen caelum misero, vos parcite divi,
exitio quaevis grata sit hora meo.
At si dura velit tandem decedere febris,
tunc aestas aderit tempore hiemsque suo.

## 14 AD THERMAS CAROLINAS.

P2_36
O quae perpetuo fervore calescitis undae,
qua fluit irriguis Daepola raucus aquis,
reddite consuetam, precor, in mea membra salutem,
confectum dura me relevate mora.
Ut colere Aonios possim velut ante recessus,
ponere et in studiis tempora grata meis.
Sic vestrum toto nomen celebrabitur orbe,
Pegaseisque undis gloria major erit.

## 15 AD ALBIM.

P2_37
Salve Saxonicos tractus qui perfluis Albi,
ruraque Castaliis nobilitata choris.
Contingit reduci quos volvis cernere cursus,
quaeque ejecta tuo litore arena jacet.
Salvete, o graciles undarum numina Nymphae,
Naiades amnicolae, caeruleique dei !
Auspiciis vestris salvo mihi corpore detur,
hoc videam Rhenum Danubiumque modo.

## 16 AD CUPIDINEM.

P2_38
Mens dolet ; unde dolor ? Leto me reddite laetum ;
amens imbre genas proluo, et excrucior.
Rumpe animam ardentem sub Tartara rumpe, Cupido,
tantum ne flammis corpus adusta cremet.
Hoc satius fuerit : caste tua castra secuto,
ardens Elysio nunc amor orbe ferar.

## 17 AD VIATOREM.

P2_39
Aspice de vivo concreta sedilia saxo,

quisquis in hac carpis valle, viator, iter.
Immixti tenero fragrant hic gramine flores :
mulcet odor cerebrum, lumina clara color.
Lenior aura tibi Phoebeos submovet ignes,
dulcis et in summo vinea monte viret.
Irriguis faciem poteris perfundere lymphis,
sique libet, rabidam pellere fonte sitim.
Credibile est fessas hic saepe sedere Napaeas,
floridaque auratis texere serta comis.
Hic Nymphae, Satyros quando fugere salaces,
festino cursu corpora fessa levant.
Ergo quid hic gressus dubitas inhibere volucres ?
Et placida fessum te recreare mora ?

## 18 DE CUPIDINE.

P2_40 Non, mihi, saeve puer, renuas quod parcere, miror,
cum tibi nec matris cura sit ulla deae.
Illa oculis captum fovet, ac placidissima ducit :
dona dehinc, nato non referenda, capit.
Intima percusso violas praecordia telo,
hinc male belligero jungitur illa Deo.

## 19 DE TEREI FILIO.

P2_41 Crudelis mater, magis at pater improbus ipse,
visceribus nati viscera dum satiat.
Mors erat huic genitrix, genitor fuit ipse sepulchrum :
haec homini reddit praemia turpis amor.

## 20 AD AMICUM.

P2_42 En quos Chalcographo scio te misisse libellos,
excusi nondum jam rediere tibi.
Aut quoniam censor non judicat esse legendos,
aut quia non pretium quod statuistis habes.

## 21 AD EUMDEM.

P2_43 Cur ea quae scribis semper gravia esse laboras,
curque tuos versus grande sonare studes ?
An quia magnanimus vis hac ratione videri,
et grave dum scribis, pectus habere grave ?
Judicio nostro, non sic gravis esse videris,
nam cum versuto pectore mens levis est.

## 22 DE MALO POETA.

P2_44 Cum quid agas quaero, dicis te scribere versus,
cumque rogo ut monstres carmina facta, negas.
Quae tamen haec causa est ? Aut carmina scribere nescis,
aut ea quae scribis sunt vitiosa puto.

### 23 AD EUMDEM.

P2_45
Dum celebrant animis alii convivia laetis,
in mensa tecum carmen habere soles.
Inde legens, vario gestu sublimia fingis :
infelix ego sum saepe Poeta, refers.
Ast, indocte, tibi nomen ne finge Poetae,
dum steriles nosti scribere versiculos.

### 24 PUELLAE VOTUM.

P2_46
Pro reditu dextro nostri dea Cypria amantis,
haec cape purpureis lilia mixta rosis.
Cum facies, ut certa dies constringat amantes,
tunc tibi cum baccis florida myrtus erit.

### 25 AD MOSPUM.

P2_47
Verba mihi licuit quoties audire loquentis,
ex ipso dici sum Cicerone ratus.
Hinc ibi res video, docto sermone latentes,
has puto Graiugenas vix tenuisse sophos.
Demiror certe, quod in isto corpore, verus
et Cicero possis, et simul esse Bias.

### 26 AD PHILOSOPHASTRUM.

P2_48
Hoc ego doctiloquis dederim quod munus amicis,
conscia te graviter fama tulisse refert.
Incusas facinus, culpatos esse magistros
proclamas : linguam siste proterve tuam.
Non est quod cupias mecum contendere verbis :
certe verba dabo, si tibi scripta dabo.
In te jam calami mucronem stringere coepi :
vivus eris, malles quamlibet ipse mori.

### 27 AD DETRACTOREM.

P2_49
Thersitis speciem naturae munere gestas,
conveniens animo forma quod ista tuo.
Haec quis non longe fugiat commercia ? Dum te
oderunt fratres, odit uterque parens.
Mens, facies, immane caput, breve corpus, et impar
pes, specimen pulchrae dexteritatis habent.

### 28 AD EUMDEM.

P2_50
Dum tua sincero taxarem crimina more,
ista venenato pectore dicta dabas ;
exsequar hos monitus posthac divine Poeta,
namque patet, rebus te bene velle meis.
Sed nimium miror, tam clara volumina vatis

hactenus a nobis non potuisse legi.
Mone, tuis oculis igitur mea perlege scripta :
Archilochi guttur jam tibi nectet opus.
Aemule Thersitis, paucos nunc aspice versus,
perfidiae venient debita scripta tuae.

## 29 AD AMICUM.

P2_51
Dum laudandus eras, laudes memorare solebam,
jam te perverso, versus et ipse stilus.
Sic, quia mutatur Proteus, non semper eamdem
pingere nos formam sed variare decet.
Dum bonus es, bona sunt mea carmina : si malus esse
incipias, carmen cogitur esse malum.

## 30 DE SALTATORE.

P2_52
Jussus es ipse choros templi tractare, fidemque,
sed fidibus pulsis invigilas choreis.
Nempe decet pulchram saltu recreare juventam ;
perge ita : mox pulchro munere desilies.

## 31 DE EODEM.

P2_53
Tune alios votis ad caeli limina duces ?
Dum Veneri et Baccho vota sceleste facis.
Pro pietas, et sacra fides : non aethera pandit
sed Styga, si docet haec impia, religio.

## 32 GABRIELI FALLOPIO MEDICO PATAVINO.

P2_54
Dum mihi mors vitae jucundum intercipit usum,
lugubris querulas dic, Hyacinthe, notas.
Sub pedibus magni video nunc singula mundi,
quae prius in mundo cura minore fuit.
Imo age, sanguineas flos regie verte figuras,
dicat io laetum littera, dicat io.
Caelo dona piis res|tant aeterna : po|tentem
Vivere defunctis nam datur ante Deum.

## 33 DOMINO FRIDERICO TRUCHSES L. BARONI IN WALDPURG.

P2_55
Qua concessa meis sunt commoda tecta Camenis,
exornat mediam ficus opaca domum.
Illa quidem, placidi si fert clementia caeli,
immenso fructus ubere feta gerit.
Frigida sed quia nunc conatibus obstitit aura,
haec (ingrata foret ne mihi) dona tulit.
Tu vero primos laudata ex arbore fetus,
in cena sinito divite ferre locum :
Fridrice et proprii generis, nostrique Lycaei
gloria, nec parvae respue dona casae.
Sic Patavina tibi spiret feliciter aura,
sic vigeas tota sospes in Ausonia.

### 34 GEORGIO EDERO.

P2_56 Dum legis haec, nostrae cultor fidissime Musae,
  quando erit ut mittas huc meliora, refers :
mi sat erit Latiis doctis latuisse sub oris,
  versibus et paucis exseruisse caput.
Dum modo non expers antiqui vena nitoris,
  jucunda, et multis proferat apta legi.
Haec quoque livoris non prorsum immunia cernes :
  vivat Maeonides, aut Maro, flagra ferent.
Interea, donec credant se plura per auras,
  tu numeros longo suscipe amore breves.

### 35 DE DUCIBUS VENETIS DESCRIPTIS. DETRACTORI.

P2_57 Carmine pugnantes ranas invexit Homerus,
  promptius ut longam texeret Iliaden.
At me facta ducum leviter libasse nefandum est
  facta, alii longis quae docuere libris.
Insuper obscuros derides inscie versus :
  hac legem antiquis vatibus esse negas.
I, clypei ride non enarrabile textum,
  quod tibi res Italas longaque gesta canit.
Anchisamque patrem, succincto more docentem
  Aeneadum Elysiis saecla futura jugis.
Fastus inest animis, carpendique atra libido :
  post obitus, vatum crescere suevit honos.

### 36 BERNARDINO TOMITANO PATAVINO.

P2_58 Dum gravis exaequat magnum tibi Musa Maronem,
  et Ciceronaeum lingua diserta decus,
vix humili prodit se murmure nostra Thalia :
  litoris et tractus fessa Phaselus amat.
Unde igitur junctas sociabunt vincula mentes ?
  Vena tibi exundans, at mihi sicca nimis.
Sed veluti arguto Cygnus laudabilis ore,
  fert tenerum Veliae per sua stagna melos.
Sic tibi sint versus nostri cultissime vatum,
  sic tibi sint animi foedera grata mei.

### 37 INIMICO BAVARO.

P2_59 Multa tuum facinus meruit praeconia, sed non
  polluta esse tuo nomine Musa cupit.
Injusto quod sis telo me aggressus inermem,
  causa est armati te trepidasse manum.

### 38 IN CONSPECTUM ROMAE.

P2_60 Troja fuit, rerum facta est pulcherrima Roma :
  omnia fert aetas, nunc quoque Roma fuit.

## 39 DE AMORE SUO.

P2_61
Heu, desiderium, spes, heu, mea vita, quid orbis
  omne decus solo sordet amore tui ?
Cur, si non deus es, si non puer ille Cupido,
  cur laceras telis viscera nostra tuis ?
Omnia tentavi, nulla est medicina dolorum :
  jam valeant caeli, splendida terra vale.
Ad loca tendamus non aequo sidere amantum,
  quod tenui infelix alter amator habet.
Fata Deum nobis obstant, fors aequior Orcus :
  heu quae me primum flebilis hora tulit.
Vixi, et cum viridi praestarem multa juventa :
  omnia qui vincit me quoque vicit amor.

## 40 AD LIBRUM SUUM.

P2_62
Parve liber, nostra dudum prognate juventa,
  auctorem taedet si penes esse tuum.
Jam mihi Phoebei cursus sex lustra tulerunt,
  hoc facit, ut curae sim satur ipse tuae.
Germanas igitur pro me discede sub oras,
  Adriaci linquens dulcia tecta maris.
Ast mihi nunc iterum Romam discedere visum est,
  mirarique urbis quicquid in orbe viget.
Hinc ego Parthenopen, magni pia busta Maronis,
  et sincere tuos deveniam cineres.
Mox alias urbes lustrabo ; atque inde per aequor
  accedam flammas, Sicelis Aetna, tuas.
Interea auspiciis laetis liber edite, multos
  affice, et ex omni parte placere stude.
Quod si contigerit dextre tibi parvule, quaenam
  gaudia ? Quod rediens nomen habebit herus ?

------------------------